12

DISSERTATIO INAVGVRALIS,

DE

MELIORATIONE FEVDALI,

QVAM

ASSISTENTE DIVINI NVMINIS GRATIA,

EX DECRETO ET AVTORITATE MAGNIFICI AC NOBILISSIMI IVRISCONSVLTORVM ORDINIS IN ILLVSTRI IVLIA

PRÆSIDE

Viro Ampliſſimo, & Conſultiſſimo,

DN. IOHANNE LOTICHIO, ICto,

Codicis Profeſſore longè celeberrimo, Facultatis Seniore, atque h. t Decano ſpectabili, Dn. Præceptore, & Promotore ſuo ætatem obſervando,

PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS, ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS IMPETRANDIS

Publicè tuebitur

CASPAR VVESTERMANNVS HAMBVRGENSIS.

IN NOVO IVLEO

Ad diem xxx. Ianuarii. Horis ante & pomeridianis.

[library stamp] ...ECA ...ICMA... EMANUEL...

HELMÆSTADI

Ex officina HENNINGI MVLLERI acad. typ.

ANNO M DC XLIX.

VIRIS AT

Magnificis, Nobiliſsimis, Ampliſsimis, &

Conſultiſsimis,

DN. ALBERTO von Eitzen/ }
DN. VLRICO Winckel/ } I.V.L.
DN. IOHANNI Brandt/ }
DN. BARTHOLDO MOLLERO, }

Florentiſſimæ Hamburgenſium Reipubl. Conſulibus graviſſimis, Patriæ Patribus laudatiſſimis,

DN. IOHANNI CHRISTOPHORO MEVRERO, Comiti Palatino Cæſareo,

ET

DN. BRODERO PAVLI,

ICTIS eminentiſſimis, ejuſdemq; Reipubl. Syndicis clariſſimis.

VT ET

Eximiis, ac perquam honoratis Viris,

DN. GEORGIO MVLLERO, in patria Repub. Duodecimviro ſpectatiſſimo,

DN. BARTHOLOMÆO VVESTERMANNO, Sereniſſ. Electoris Brandenburgici Pilloviæ Boruſsorum vectigalium præfecto fideliſsimo; Patruo parentis in modum venerando

DOMINIS AC PATRONIS SVIS

DISPVTATIONEM HANC INAVGVRALEM SACRAM ESSE VOLVIT

CASPAR VVESTERMANNVS.

DISPVTATIONIS INAVGVRALIS DE MELIORATIONE FEVDALI.

CONCLVSIO I.

INter præcipuas Iuris civilis partes haud poſtremum locum ſibi vindicare Conſuetudines ſive placita Feudalia, cùm ob ſubjectæ materiæ amplitudinem, tum propter arduam & perplexam varietatem, neminem paulò exercitatiorem fugere poſſe arbitror. Præ aliis illuſtribus controverſiis autem, quibus tam nobilis juris noſtri portio abundat, non parum ſeſe nobis commendat illa, quæ de meliorationibus in feudo factis diſputatio eſt: quippe de quibus videas *multoties inter Dominum & Vaſalli heredes, inter ſucceſſorem Vaſalli defuncti in feudo, & ſucceſſorem ejus in allodio, ut & ipſos Creditores graviſſimas exiſtere contentiones*: verba ſunt Herm. Vult. *l.* 1. *de Feud. cap.* 11. *n.* 227. Exſtant de ijs expreſſi juris feudalis textus præcipuè duo, unus in *§. E contrario, de Inv. de re al. fact.* alter in *§. ſi vaſallus. Hic finitur lex.* tanta vero Ddorum circa illos perplexi-

Ratio tractationis exponitur

Sedes materiæ.

perplexitas, ac quæſtionum multitudo, ut parum abſit, quin prima fronte horrorem incutiant immerſuro ſe paulò altius in hanc opinionum farraginem; ſummi numinis auxilio tamen conſiſi hanc meliorationum materiam enodare, atque ex principijs ſuis breviter & ſuccinctè repetere ſtudebimus, ſperantes nemini bono noſtrum hoc veritatis indagandæ ſtudium diſpliciturum.

II.

Tractationis capita.

Cæterùm quo rectius de propoſito noſtro alijs conſtare poſſit, ICtiſſimi Pauli exemplum ſecuti *l.* 1. *ff. de Dol.mal. excep.* tractationem rei ad ſex ſumma capita revocabimus, conſideraturi *Primum* quid Meliorationum nomine in feudis veniat: *Deinde* quotuplices illæ ſint: *Tertiò* quibus caſibus, quænam, & quibus perſonis debeantur: *Quartò* quando ſervari nequeant: *Quintò* quomodo earundem ſit facienda æſtimatio: & *Sextò* quænam ad illa conſequenda prodita nobis exſtent remedia. His capitibus præcipuè omnis noſtra abſolvetur diſputatio, quam præ manibus habemus.

III.

Notatio nominis, & definitio meliorationis feudalis.

Dicitur autem *Melioratio* à *meliorando* & definiri à nobis poteſt Melioratio feudalis, quod ſit acceſſio quædam, quâ feudum augetur, hoc eſt me-

eſt melius aut ornatius redditur. Vnde etiam non incommodè *Incrementum, Augmentum*, item *Acceſſio* feudalis dici poterit.

Arg. §. E contrario, de Inv. de re al. fact. §. ſi Vaſallus. Hic finit. lex. Menoch. *Remed. 15. de Recup. poſſ. n. 500. & ſeqq.* Ioſ. Maſcard. *de Probat. vol. 2. concl. 1041. in pr.* Vulteſ. *de Feud. lib. 1. cap. 11. n. 227.* & Magnif. Dn. Frantzkius *in tr. de Laudemiis, cap. 15. n. 42.* ſive meliorationes illæ duntaxat fiant ſumptibus & impenſis, ſive opera & induſtria vaſalli, aut alio quovis modo, ut alluvione, impetu fluminis &c. quemadmodum pluribus in ſequentibus patebit. Roſenthal. *de Feudi cap. 10. concl. 43. n. 39. in fin.* Gothofr. Anton. *Diſp. feud. 12. th. 7. lit. E.* Hoc modo maritus dicitur meliorem reddere rem dotalem, *l. 5. inf. cum l. ſeq. ff. de Imp. in res dot. fact.* Fructuarius cauſam proprietatis meliorem facere debet, non deteriorem, *l. 13. §. 4. ff. de uſufr.* Emphyteuta meliorationum ſuarum pretia à Domino petere poteſt. *l. fin. C. de Iur. emphyt.* Ita melior conditio afferri dicitur, ſi priori pretio auctarium aliquod additum fuerit. *l. 4. §. 6. & l. 5. ff. de in diem addict.* Filius etiam non ineptè dicitur melioratus à ICtis, quem pater bonis quibusdam prælegatis præ cæteris liberis meliorem atque auctiorem fecit. Caſtrenſ. *in part. 1. conſ. 377.* Aug. Berojus *lib. 1. Conſ. 88. n. 35.* Alvar. Valaſcus *de Iur. emphyteut. quæſt. 2. circa fin.* Omnibusque his prolixius, Ioh. Palladorius *lib. 1. Rer. quotidian. cap. 7.* & Didac. Covarruv. *Var. Reſol. lib. 3. cap. 5. n. 7. item cap. 16. n. 12.*

IV.

Fiunt hæ meliorationes vel cooperante facto vaſalli, vel ſine facto ejusdem. Meliorat. quotuplices ſint.

Dn. Bened. Carpzov *in Iuriſpr. forenſ. p. 3. Conſt. 31. Def. 7. in pr.* Herm. Vult. *de Feud. lib. 1. cap. 11. n. 242.* Ioh. Garſ. *tract. de Exp. & meliorat. cap. 22. n. 2.* & Rittershuſ. *in Part. Feud. lib. 2. cap. 6. n. 42.*

V.

Meliorat. induſtrial.

Quæ cooperante facto Vaſalli fiunt meliorationes docendi gratia *Induſtriäles* à nobis dici poterunt, & ſunt illæ quæ principaliter proveniunt opera, impenſa, atq; induſtriâ vaſalli.

Nam licet natura quoque in his nonnihil cooperari rectè dicatur, attamen quia labor & induſtria vaſalli, quam in ijs impendit, prævalet, à potiori non immeritò fieri poterit denominatio. Roſenth. *de Feud. cap. 10. concl. 43. n. 16.* Dn. Frantzkius *in d. tr. cap. 15. n. 44. & 47.*

VI.

Dividuntur in intern. & externas.

Dividuntur *meliorationes induſtriales* in eas quæ fiunt in ipſa re feudali, & illas quæ extra rem accidunt. Quarum hæ communiter à Feudiſtis *externæ*, ſive per ſe ſubſiſtentes: illæ *internæ*, & in re feudali ſubſiſtentes vocari conſueverunt.

Hanc acceſsionum ſive meliorationum diſtinctionem confirmant aperti ac luculenti juris feudalis textus duo, quorum unus habetur in *d. §. E contrario, de Inv. de re al. fact.* alter legitur in *§. ſi vaſallus, Hic finitur lex.* Ille de utraq; melioratione tam interna ſc. quam externa loquitur: hic verò de internâ tantum. Bald. & Alvarot. *in d. cap. E contrario. de Inv. de re al. fact.* confer Roſenth. *d. cap. 10. concl. 43. n. 17.* Hart. Piſt. *lib. 2. p. 2. quæſt. 42. in pr.* & Gothofr. Anton. *diſp. feud. 12. th. 7.* Alias adhuc meliorationum diviſiones accumulat Schraderus *de Feud. 2. part. principal. 9. ſect. 2. in pr.* ad quem lectorem remitto.

VII.

Internæ meliorat.

Meliorationes quæ in ipſa re feudali fiunt, ſive *internæ*, definiri poterunt illæ, quæ à feudo ſeparari nequeunt ſalva manente ſubſtantiâ.

Carol.

Carol. Molinæ. *in Conſ. Pariſ. t. 1. §. 1. Gloſſ. 5. n. 67. & mult. ſeqq.* Hartm. Piſtor. *p. 2. quæſt. 42. in pr.*

IIX.

Subdividuntur non incommodè in *Neceſſarias, Vtiles* & *Voluptuarias.* Meliorat. inter ſubdiviſio.

Arg. l. 38. ff. de R. V. l. 38. & 39. ff. de Her. pet. l. 1. & 14. ff. de Imp. in res dot. fact. Maſcard. *de Probat. vol. 2. concl. 1041. n. 2.* Ioh. Garſias *d. tr. cap. 1. n. 10.* Ioh. del Caſtillo *de uſufr. c. 57. n. 18.*

IX.

Meliorationes ſive Impenſæ *neceſſariæ* ſunt, quæ habent impendendi neceſſitatem, ita ut iis non factis res feudalis aut peritura, aut certè deterior futura fuiſſet. In Neceſſar.

l. 1. §. 1. ff. de imp. in res dot. fact. iuncta l. 79. ff. de V. S. & Gloſſ. *in cap. Paſtoralis. X. de Decim.* Hujus generis ſunt moles, quæ in mare aut flumen projicitur ad arcendum impetum undarum, ne ſc. ædibus prope mare, vel flumen ædificatis noceant. *l. Creditor. 52. §. fin. ff. de Act. empt. iunctâ l. 30. §. ult. ff. de Acq. rer. dom.* Fultio & refectio ædium, quæ ruinam minantur. Arborum in locum demortuarum repoſitio. *l. 14. ff. de Imp. in res dot fact.* Ædium collapſarum reædificatio, ſtructura novarum, ut & piſtrini, ſtabuli, ac horreorum; ſi fundus ſit amplus & frugum ferax, magnaq; familia à domino alatur. *l. 7. §. fin. ff. ſol. matr.* Molendinum, muri circumvallantes, aggeres, foſſæ, putei pro munitione caſtri, tormenta, machinæ, armamenta bellica præparata ad perpetuam caſtri munitionem, baliſtæ, catapultæ, ſumptus denique in alendum militem, ſi caſtrum vel fortalitium tale ſit, quod neceſſariò cuſtodia indigeat, Alvarot. Præpoſ. Baro Scenck, & alij *in d. §. ſi Vaſallus. Hic finit. lex.* & occupatum vel nunquam, vel non niſi ſumma cum difficultate recuperari queat. Schrader. *2. part. 9. princ. ſ. 2. n. 21. verſ. Quartò hæc concluſio amplatur.* Roſenthal. *d. cap. 10. conclus. 43. n. 67. & mult. ſeqq.* Menoch. *Remed. 11. de rec. poſſ. n. 18.* Vultej.

lib. 1.

lib. 1. cap. 11. n. 228. Pertinent & huc lapidicinæ, ſalinæ, mineræ, cretæ, auri, argenti, ferri, plumbi, ſtanni atque orichalci fodinæ antiquæ, in feudali prædio melioratæ ac reſtitutæ. *Arg. l. ſi fundus. 8. ff ſol. matr. junctâ l. fin. ff. de fund. dot.* Impenſæ verò in litem, quæ vaſallo ſine culpa movetur, non aliter pro neceſſariis haberi ac reputari poterunt, quam ſi magnæ ſint, & ad perpetuam feudi (h. e. domini vel agnatorum) utilitatem lis neceſſariò ſubeunda fuerit; etiamſi accidat vaſallum in ea ſuccumbere. Bartol. *in l. 3. §. ſufficit. ff. de Contr. tut. act.* & prolixè Roſenth. *d. capite. concl. 43. n. 75.* Gothofr. Ant. *Diſp. feud. 12. th. 7. lit. G.*

X.

Utiles. *Utiles* ſunt, quæ rem feudalem meliorem faciunt, id eſt augent, deterioremq; eſſe non ſinunt, h. e. conſervant.

l. Impenſæ. §. 1. ff. de V. S. junctâ l. Quod dicitur, in f. ff. de Imp. in res dot. fact. Numerantur inter Impenſas utiles olivetum, cultura vinearum, & plantatio arborum, ſi integram fortè ſylvam plantaverit vaſallus. Præpoſit. *in d. §. ſi vaſallus. in fin.* Ant. Neguſant. *de Pign. & hypoth. memb. 4. part. 5. n. 11.* Referuntur eodem Ædificia murata & lignea, piſtrinum item, & horreum fundo feudali impoſitum, cum nulla id efflagitaret neceſſitas. *d. l. Impenſæ. de V. S.* Camera, furnus, cellarium, quæ fiunt in domo. Boer. *Decis. Burdegal. 44. n. 6.* Idem ſtatuo de impenſis in columbarium prædij feudalis erogatis, ſi nimirum vaſallus ex fundamentis illud exſtruxerit, ac columbis ad feudi utilitatem repleverit, quo fructus quotidie inde percipiantur. *Arg. l. 14. ff. de Imp. in res dot. fact.* & *l. 3. §. 16. ff. de Acq. poſſeſ.* Goedd. *ad l. 79. §. 1. ff. de V. S.* De piſcinis, & ſtagnis, ſi piſces eis impoſuerit, hunc in finem ut creſcant, procreent, ac augeantur, par omninò poterit eſſe judicinm. *d. l. 3. §. 14. ff. de Acq. vel am. poſſ.* Andr. de Iſernia, *in d. §. ſi vaſallus,* & ibidem Alvarott. *in verb. Meliorationis.* Vultej. *lib. 1. cap. 11. n. 228.* Quod ſi quoque ex agro ſaxoſo ſaxa ſuſtulerit, aut terra ſuperinducta lapillos texerit:

texerit, ex agro aquoſo aquam averterit. Baro Schenck. *ad §. ſi Vaſſallus. n. 2.* dumeta exſtirpaverit, terras nemoraque inculta ad culturam redegerit, da er die ungeſlachtete Hecken/ Heiden/ Schölz/ und Strëuche außgeradet hat/ atque ita ex horrido, aut alio quopiam loco inculto feracem fundum fecerit, non immeritò & hæc in meliorationum utilium numero cenſebuntur, dummodo hoc modo ad perpetuam prædij feudalis utilitatem aliquid factum eſſe compareat. *per l. 39. verb. Novelleta, ff. de Pet. her. l. 3. & 6. ff. de Imp. in res dot. fact.* Interpretes comm. *in §. ſi vaſallus. Hic finitur lex.* Hartm. Piſtor. *p. 2. quæſt. 42. n. 24.* Roſenth. *d. cap. 10. concl. 43. n. 57. & 58.* De eo non ſatis conſtare video inter DDres, ſi vaſallus novas metalli fodinas ſuo labore ac ſumptibus absque diſpendio ſuperficiei in fundo feudali aperuerit, atque exercuerit, an & eas inter meliorationes utiles reputare poſſit? Verum ego, dummodo perpetuæ ſint, quid de hoc ipſo cauſæ ſit dubitandi non animadverto. *Arg. optimi text. in l. fin. ff. de fund. dot.* juncta *l. 7. §. 13. ff. ſol. matr. & l. 13. §. 5. ff. de uſufr.* Ioh. Garſ. *d. tr. cap. 22. n. 47.* Multò adhuc fortius his includuntur ſervitutes redemptæ, quia commodum ſunt libertatis feudo acquiſitæ, ſi fortè ſervitutem, quàm feudale prædium non ſine onere alijs debebat, ſuâ impensâ redemerit Vaſallus, Carol. Molinæ. *in Conſuet. Paris. t. 1. §. 1. Gloſſ. 5. n. 63. in fin.* Idem eſt ſi ſervitutem prædialem, quæ non erat, feudo utiliter acquiſiverit. *§. E contrario. de Inv. de re al. fact. §. ſi vaſallus. Hic finitur lex.* ubi *FF.* communiter.

XI.

Voluptuariæ impenſæ ſunt, quæ feudum tantummodo ornant, non etiam fructum augent. Voluptuarias.

Arg. d. l. Impenſæ, §. ult. ff. de V. S. & l. Voluptuariæ, ff. de Imp. in res dot. fact. In hanc claſſem referenda veniunt ampliſſima palatia, ad faſtum & pompam unicè exſtructa. Viridaria & ambulacra, quæ amoenitatis gratia fiunt. Aquæ ſalientes, quæ ſingulari artificio è puteis in altum deducuntur, maximâ ſæpe impenſa, cum tamen exiguum feudali

B prædio

prædio afferant fructum. Brechæus in l. Impenſæ, §. ult. n. 4. de V. S. Adde his incruſtationes, quas Alciatus in d. l. tectoria parietum ex cruſtis marmoreis eſſe contendit; Rebuffus vero, cruſtas ſubtiles, quæ muris ſubinducuntur & vulgo incarbaturæ appellantur. n. Item picturas magni pretij, & loricationes, quæ doctiſsimo Budæo artificioſa tectoria parietum ſunt in modum loricæ ſuperinducta. In Annot. ad Pandect. ad vocem Lorica. Puto tamen harum impenſarum nonnullas ſuo modo inter utiles rectè quoque numerari poſſe, de quo in dubio prudentis Iudicis erit arbitrium. Arg. l. in fundo 38. in verb. Bonus index, ff. de R. V. Ioſeph. Ludovic. in Decis. Perus. Decis. 24. n. 1. Garſias d. tr. cap. 1. n. 25. in fin. & cap. 9. n. 26. Hartm. Piſtor. p. 2. quæſt. 42. n. 10. & Roſenth. d. cap. 10. concl. 43. n. 105.

XII.

Meliorat. externæ.

Et hæc de meliorationibus internis dicta ſufficiant; ſequuntur externæ, ſive ſeparatæ, quæ nihil aliud ſunt, quam augmenta rei feudalis quæ per ſe, & extra feudum rectè ſubſiſtere poſſunt.

Alvarot. & Baro Schenk, in §. E contrario. de Inveſt. de re al. fact. Hartm. Piſtor. p. 2. quæſt. 42. n. 39. verb. Ad augmentum extrinſecum. Vultej. lib. 1. cap. 11. n. 239. Pertinent ad hanc ſpeciem illa omnia, quæ accedunt feudo, non ut feudo, præter conceſsionem aut inveſtituram feudalem. Puta ſi vaſallus habens feudum emat fundum aliquem, vineam, hortum, aut prata juxta feudum poſitas eaque feudali fundo uniat. Vultej. d. cap. 11. n. 242. Carol. Molinæ. in Conſ. Pariſ. d. gloſſ. 5. n. 20. Eodem modo res ſe habet, ſi vaſallus aliunde quam à Domino jurisdictionem, jus Patronatus, aut ſimile quid feudo adiecerit. Molinæus in d. gloſſ. 5. n. 44. & ſeqq. Iul. Clar. lib. 4. Rec. ſent. §. feudum. q. 88. Roſenth. cap. 10. concl. 43. n. 18.

XIII.

XIII.

Quæ ſine facto hominis fiunt meliorationes feudales, vel naturâ fiunt, & rectè dicuntur *Naturales*: vel caſu, & *Caſuales* appellari poſſunt. Melioratt. quæ ſine fact. hom. fiunt, ſunt

Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 42. n. 39.* item Roſenth. *d. cap. 10. concl. 43. n. 16.* ubi tamen rem paulò aliter expediunt.

XIV.

Naturales meliorationes ſunt, quæ in feudo non induſtriâ noſtrâ, neque ſumptu, aut expenſâ, ſed cæli, ſolisque aut aliarum latentium cauſarum beneficio ab ipſa rerum naturâ fiunt, & producuntur. vel Natural.

Ioh. Garſias *d. tr. cap. 22.* Carol. Molinæ. *in Conſ. Paris. §. 1. Gloſ. 5. n. 115.* Ludolph. Schrad. *2. part. 9. pr. ſ. 2. in pr.* Dn. Frantzkius *de Laudem. cap. 15. n. 44.* Huc referri poterit, quod feudo paulatim per alluvionem accreſcit, *l. 7. §. 1. ff. de Acq. rer. dom.* ita ut ſentire nequeas, quantum quoquo temporis momento adjiciatur. *§. Præterea, 20. I. de R. Div.* Item quæ impetu, ſive vi fluminis adjiciuntur: modo longiore temporis ſpatio fundo feudali adhæſerint, arboresque, quas flumen ſecum traxit, radices in eum emiſerint. *§. Quod ſi vis. 21. I. de R. D.* juncta *l. 5. §. 3 ff. de R. V.* Inſula quoque in flumine publico juxta feudum nata eodem pertinet, ut & alveus, quem flumen prædium feudale alluens aut præterlabens in univerſum dereliquit, atque alio fluere cœpit. *l. 7. §. 5. & l. 30. §. 2. ff. de Acq. rer. dom. §. Inſula. 22. & ſeq. I. de R. D.* Nec aliter de mineralibus, ſalinis, metallis, cretæ, auri argentique fodinis, quæ in fundo feudali proveniunt, judicari poterit. *Arg. l. 13. §. 5. & ſeqq. ff. de uſufr.* junct. *l. 13. ff. de Publ. & vectig. & l. 8. ff. ſol. matr.* Quod ſi quoque nemora, montes, ac terræ incultæ ſuapte ſponte augeantur, aut fiant fructuoſiores, ſo-

res, ſolius beneficæ naturæ largitati hoc acceptum ferendum erit. *Arg. l. fructus, 45. in ſ. ff. de Uſur.*

XV.

vel Caſuales.

Caſuales meliorationes dicimus, quæ ex ſolo caſu fortuito proveniunt; unde etiam *fortuitæ* aliis dicuntur,

Schraderus *P. 2. part. pr. 9. ſ. 3 n. 1.* Hujusmodi augmentum dico, ſi pretium earum rerum quæ ex feudo percipiuntur, lapſu temporis non mediocriter auctum fuerit. V. G. ſi ex rebus in feudum datis Vaſallus ſingulis annis aliquamdiu mille florenos percipere ſolitus ſit, quod illæ tunc temporis amplius quid proferre non valerent; poſtea verò, dum feudum ad tempus aliquod poſſedit, variante rerum viciſſitudine, ſine opera aut induſtria ejus pretium ad duo florenorum millia creſcat & aſcendat. Nam ita ſæpenumerò fieri ſolet, ut quod prædium hodie eſt maximi pretij, vilioris ſit poſt paucos dies: & qui fundus in præſenti exigui cenſus eſt; poſt paucos menſes duplò major æſtimetur. *Arg. l. 63. ff. ad l. falcid. l. 21. ſ. 3. ff. de Act. empt. l. 22. ff. de R. cred. & l. 37. ff. Ad L. Aquil.* Joh. Gats. *d. tr. cap. 4. n. 14.* verb. *Quod verò diximus.*

XVI.

Quib caſib. quæ, & quibus perſ melior at. debeantur.

His ita ante definitis facilimum nobis erit explicare, Quo caſu melioramenta debeantur, Quænam meliora menta, item Quibus & à Quibus debeantur.

Arg. text. in l. 1. ff. de Dol. mal. & met. except.

XVII.

Etenim feudum vel ex culpa amittitur, ſive per *Feloniam*, quemadmodum *Feudiſtæ* communiter loqui amant, vel citra culpam.

Illud notandum quod poſteriori hoc caſu magis propriè finiri, quam amitti feudum dicatur, quemadmodum in

ſimili

ſimili ſubtiliter diſtinguit Iul. Paulus *lib. 3. Recept. ſent. cap. 6. §. Finitur uſusfructus.* Quamvis, cum de re conſtat, curioſa hac diſtinctione haud opus eſſe videatur: præſertim ubi communis Feudiſtarum ſchola eodem modo loquitur, ut amitti feudum dicat, cum vel omnino illud extinguitur, ſive feudum eſſe deſinit; vel etiam quoad illius perſonam ſolummodo, cujus antea erat. Vulte j *l. 1. de Feud. c. 11. n. 3.*

XIIX.

Si ob culpam ſive delictum vaſalli feudum amittatur, Vaſallus, & heredes ipſius allodiales, quemadmodum nullum jus in feudo per feloniam aperto retinent, ita quoque meliorationibus omnibus ſine diſcrimine cadunt. Feudo per Felon. amiſſo quid de melioratiſiat.

Nam cum propter ingratitudinem vel ad Dominum, vel proximum Agnatum feudi ſucceſſorem beneficium perveniat, prout Felonia ſc. in Dominum ipſum, vel etiam extraneum fuerit commiſſa, *1. Feud. 5. §. His omnibus*, & *2. F. 24. §. Denique, cum text. 2. F. 31. & 37.* in verb. *Quia tamen*, ad eosdem quoque melioramenta cum omnibus appendicibus atque acceſſoriis, delicti culpâ deveniſſe putanda ſunt. Bald. Alvarot. & Math. de Afflict. *in §. ſi Vaſallus. Hic finitur lex.* Iac. de Ardizo, *in ſumm. quib. mod. feud. amit.* ſub Rubricella, *de ſuperficie fact. à vaſ.* Baro Schenck *in §. E contrario, de Invader. al. fact.* Auguſt. Berojus *quæſt. 96. n. 4. verſ. Aut Vaſalli magis.* Anton. Peregrinus *de Iur. ac privil. fiſc. lib. 5. t. 1. n. 150.* Et cum pars rei facta ſint, quid æquius eſt, quam ut acceſſorium ſuum principale ſequatur? *Arg. l. 26. §. cum inter ff. de Pact. dotal. & §. cum in ſi o, 30. I. de R. Div. is.* Sive itaque induſtrialia ſive naturalia, ſive mobilia ſive immobilia, ſive exigua ſive maximi pretii ſint melioramenta, puta quod in feudo tenui caſtrum magnificum, aut molendinum magni reditus exſtruxerit Vaſallus, illud omne perinde erit. Per text. *in l. 2. C. de Iur. emphyt.* & ea quæ ibidem notant prolixè Bald. & Iaſon. Adde his Molinam, *tom. 2. diſp. 455. de Iuſt. & Iur. n. 5.*

Iur. n. 1. Nam verba generalia generaliter ſunt intelligenda. *l. 9. §. fin. ff. de Iur. & fact. ign.* ita ut complectantur omnem ſub ſe ſpeciem. *l. 13. C. Mandat.* Schrader. *de Feud. 2. part. 9. princ. ſect. 2. n. 16.* Atq; hoc adeo verum eſt, ut nec pretium, neque æſtimationem meliorationum viâ retentionis, aut deductionis, multò minus prodita actione aliqua ſervare poſſit Vaſallus. *d. l. 2. C. de Iur. emphyt.* Guido Papâ *Decis. Gratianop. quæſt. 169.* Carol. Molinæ. *in Conſ. Paris. §. 1. Gloſſ. 5. n. 76.* Iul. Clar. *lib. 4. Rec. ſent. in §. Emphyteuſis, q. 45. & §. Feudum, quæſt. 88.* Valent. Forſter. *de Succeſſ. ab Inteſt. lib. 3. cap. 20. n. 9. 10. & 11.* Neque eſt quod nobis hic objiciant alij, Dominum aut Agnatum hac ratione locupletari, ac lucrari meliorationes cum maximo damno Vaſalli, contra *l. 14. ff. de Condict. indeb.* Nam regula hæc cum in alijs quam plurimis, tum in hoc præcipuè fallit; ubi illud in pœnam alicui accidit, ut ex vitio & delicto ſuo detrimentum ſuſtineat. Gloſſ. *in Auth. Qui rem C. de SS. Eccleſ.* Ratio eſſe videtur, quòd is damnum non ſentiat, qui culpa ſua illud ſentit, ſi quidem nihil ei abeſſe intelligitur, qui à nemine læſus eſt. *Arg. l. 203. ff. de R. Iur. l. 15. ff. ſi quis om. cauſ. teſt.* juncto *text. ſingulari in l. 66. ff. ſol. matrim. & l. 39. ff. de ſolut.* Ita venditor poſt moram commiſſam in tradendo de caſu, & omni damno tenetur. *l. 2. C. de Per. & com. rei vend.* Gail. *l. 2. obſ. 22. n. 7.* Qui ſciens ædificat in alieno ſolo, privatur materia & omni re propter dolum & malam fidem. *§. Ex diverſo. 31. I. de R. div. l. 7. §. 12. ff. de Acq. rer. dom.* Heres qui ſpreto beneficio inventarij damnoſam hereditatem adit, perinde legata integra præſtare, atque æs alienum ſolvere tenetur, ac ſi ſufficiens fuiſſet hereditas. Potuiſſet enim ab initio aut non adire hereditatem, aut beneficio inventarij ſibi conſulere. *l. fin. C. de Iur. delib.* Deinde non video quid ſit, propter quod Dominum aut Agnatum iniquitatis incuſare queat Vaſallus, cum lex huic rei formam ponat, ac in ſpecie ſanciat eum qui propter culpam, ſive proprium admiſſum utili ſuo dominio privatur, quaſcunque meliorationes perdere, easq; lucro directi Domini cedere. *d. l. 2. C. de Iur. emphyt.* juncto *§. ſi Vaſallus. Hic finitur lex.* Iam vero explorati juris eſt, quod

dam-

damnum illi non faciant, quid id faciunt, quod lex jubet, aut quod facere jus habent. *l. Gracchus. 4. C. de Adult.* junct. *l. 55. de R. I.* Et tertiò quid notius eſt in ſcholis Ictorum, quam quod rigor in ſpecie, & certis de cauſis expreſsè à lege definitus ſtrictiſsimè obſervandus ſit, atque æquitati generaliter loquenti præpollere omninò debeat. *Arg. l. 1. C. de LL. l. Iurisgentium, 12. ff. Qui & à quib. man. lib. non fiunt.* juncta *l. 8. C. de Iudic.* ubi Gothofred. *in Not.* Ex his facile puto per ſe apparet, quid veritatis tribuendum ſit Diſtinctioni eorum, qui hîc diſtinguendum putant inter meliorationes ad quas faciendas jure contractus feudalis vel expreſsè vel tacitè obligatus erat vaſallus; & eas ad quas non erat obligatus. Et quidem ſi quas fecerit in colendis agris, ædificiis reficiendis, horreis conſervandis &c. has amittat: quod ſi verò nudam & ſimplicẽ meliorationis formam excedant meliorationes factæ, puta ſi novas manſiones urbanas & ruſticas magni ſumptus & valoris in fundo feudali ædificaverit, ſervitutem grandi ære emerit, molendinum ampli reditus extruxerit, aut ſimili modo alias graves & extraordinarias impenſas fecerit, eas omnes ſervare queat. Ar. Pinell. *ad l. 2. p. 2. cap. 3. n. 9. C. de Reſc. vendit.* Menoch. *de Rec. poſſ. Remed. 15. n. 503.* Carol. Molinæ. *in Conſ. Par. t. 1. §. 1. Gloſſ. 5. n. 80. 81.* & nuperrimè And. Fachinæus *Contr. Iur. lib. 7. cap. 40.* Huic non abſimilis eſt illorum DD. ſententia, qui diſtinguere tentarunt, an feudum perdatur culpa in committendo, an verò in omittendo conſiſtente: ut illo caſu omnia augmenta & meliorationes, ſive magnæ ſint, ſive exiguæ, amittantur; hoc verò, magnis melioramentis ſervatis, exigua ſolummodo Vaſallo intercidant. Quam poſt allegatum Molinæum refert Henr. à Roſenthal *cap. 10. concl. 43 n. 9.* Vtramque diſtinctionem præcipuè fundari putant in *l. 2. C. de Iur. emphyt.* ubi dicit Imperator *Emponemata* amitti; quod verbum nihil aliud innuit, quam amitti incultam terram ad culturam redactam, & conſuetas meliorationes ratione contractus emphyteutici in eam factas; non etiam ſi quæ alia in rem utiliter & cum fructu impenderit Vaſallus, quemadmodũ hoc ita explicat Carol. Molinæ. *in d. §. 1. Gloſſ. 5. n. 80.* & *prolixius*

Andr.

Andr. Fachinæus *lib. 7. Contr. Iur. cap. 90.* Verum nobis rem penitius conſiderantibus contrarium omninò verius videtur, quod ſc. omnes in univerſum meliorationes internas amittat Vaſallus feudo cadens, cum propter antea adductas rationes, ob quas meliorationes perdit, tum propter generalitatem textus apertiſsimi *in d. l. 2.* ubi Imperator utrumq; verbum, *Meliorationis* & *Emponematum* conjungit: junctâ *Auth. Qui rem. C. de SS. Eccleſ. & Nov. 7. cap. 3. §. 2.* Ex qua ad oculum demonſtrari poteſt, quod licet in initio cum agri ſteriles ſolum in emphyteuſin darentur, per vocem Emponemata non aliæ meliorationes fuerint intellectæ, quam quæ fierent in agro colendo, *Arg. tit. ff. ſi ag. vectig. vel emphyt. petat.* attamen cum poſtea progreſſu temporis prædia quoq; urbana, & terræ frugiferæ in emphyteuſin dari cœperint, hoc certiſsimum eſt, quod non cultura agri, ſed fontes magnifici, ſtagna, molendina, ſplendida ædificia, & id genus alia, meliorationum nomine fuerint intellecta, quæ verò omnia ob non ſolutum Canonem peræquè perdi vult Imperator. *Arg. d. Nov. 7. cap. 3. §. 2.* Conferatur Henric. à Roſenth. *d. cap. 10. concl. 45. n. 10.* Hartm. Piſtor. *p. 2. quæſt. 42. n. 29.* & Schrader. *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 16.*

XIX.

Quæſtio. Cæterum quæſtionis non inelegantis eſt, cum quilibet malæ fidei poſſeſſor, item colonus meliorationes, quas in re aliena fecit, ſervare omninò poſſit, quare deterioris conditionis eſſe debeat Vaſallus per Feloniam feudo cadens?

Argumentum eſt Fachinæi *lib. 7. Contr. Iur. cap. 90.* ſed cui ut opinor ſatis reſponderi poteſt. In initio enim fateor, quod prædo, ſi quæ fecit melioramenta, & res in quam illa facta ſunt adhuc exſtet, neceſſarias impenſas exceptione doli mali oppoſita conſequatur, *per l. 38. ff. de hered. pet.* Cui adde Hilligerum *in Donel. Enucleat. lib. 20. cap. 7. lit. G.* item Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. Diſp. 20. th. 6. lit. B.* Concedo

& illud

& illud quod Acceſsiones utiles quoque jure auferendi conſervet, dummodo abſque læſione prioris ſtatus rei auferri poſsint. Textum habemus in *l. 5. C. de R. V.* Verum ratio hujus juris eſt, vel quod res à malæ fidei poſſeſſore hoc modo inſigniter aucta ſit; vel etiam quod fortaſsè his non factis planè res interitura aliàs fuiſſet. Jam verò cum melioramenta ita facta non minimam partem ipſius rei conſtituant, iniquè profectò faceret Dominus impenſas refundere recuſans, dum rem ſuam repetit. *§. Ex diverſo. 31. I. de R. Div.* De Colono quod ajunt, eum propter culpam expulſum melioramenta nihilominus, pro ut voluerit, vel via retentionis, vel etiam locati actione ſervare, *Arg. l. 55. §. 1. & l. 61. in pr. ff. Locat.* illud ex longè alijs fundamentis provenit. Nam primò cum ſimplex Colonus ex vi & natura ſui contractus non teneatur rem meliorare, *d. l. 55. §. 1. ff. Locat.* videtur omninò contemplatione Domini impendiſſe, atque ita Dominum ſibi voluiſſe facere obligatum, *Arg. l. 33. ff. de Condict. indeb. & l. 6. §. 3. ff. de Neg. geſt.* junctâ *l. 14. §. 1. ff. Commodat.* Deinde quia colonus magnam ſæpe penſionem Domino ſolvit, & ferè fructibus æqualem, Paul. de Caſtro *in d. l. Colonus, 61. n. 4.* certè iniquiſsimum eſſet Dominum cum tantâ jacturâ ejus locupletari. *l. 14. ff. de Condict. indeb.* Et tertiò cum in prædijs ruſticis, fructus qui ibi naſcuntur, tacitè intelligantur pignori eſſe Domino fundi locati pro penſione conventa, etiamſi nominatim nihil de eo convenerit. *l. 7. ff. In quib. cauſ. pig. vel. hyp. tac. contr.* certè viciſsim Colono pro melioramentis, quæ in fundo fecit, jus retentionis competere æquum eſt, cum quod correlativorum eadem videatur eſſe ratio, Nicol. Everard. *in loc. leg. à. Correlativ. n. 2.* tum propter regulam generalem, quæ rem retinere permittit pro impenſis & meliorationibus in eam Domini contemplatione factis. *l. 14. ff. de Dol. mal. & met. except.* junctâ *l. 5. de Imp. in res dot. fact.* Dn. Benedict. Carpzov. *in Def. for. p. 2. conſt. 25. def. 21.* At in Vaſallo nulla ferè harum rationum ſtringit, quippe qui unicè reſpectu utilis ſui dominij, quod in feudo habet, meliorationes facit:

quod

quod ſi autem eveniat, ut ex proprio admiſſo beneficio ſuo privetur, impenſas nullo modo repetere poteſt, cum illæ pars rei factæ ſint, & rem principalem, cui inhærent, ſequantur, idque in pœnam Vaſalli, qui ex vitio & delicto ſuo hoc detrimenti ſentit. *Arg. l. 2. C. de Iur. emphyt.* & *Auth. Qui rem C. de SS. Eccleſ.* cum *cap. Damnum. de R. I. in 6. l. 46. §. 5. ff. de Procur.* & *l. 15. ff. Si quis om. cauſ. teſt.* &c. Quibus adde ea quæ notavimus ſub initium th. præcedentis.

XX.

Alia Quæſtio.

Quid ſi poſt delictum jam commiſſum Vaſallus aut Heres ejus adhuc neceſſariò feudo impendat aliquid, puta reſarciendo tecta pluviæ nō amplius reſiſtentia, fulciendo ædes ruinoſas &c. anne hoc deducere, aut retinere poterit?

Affirmativa mihi & veritati, & æquitati maximè conſentanea videtur. Nam Vaſallus de Feloniâ admiſſa convictus ſtatim jure ſuo cadit, ac feudum amittit. *cap. 1. in princ. de feud. ſine culp. non amitt.* ubi FF. communiter. Amittit verò illud cum iis melioramentis & acceſsionibus, quæ eo tempore, quo delicti reus agebatur, in feudo comparuerunt: non autem hæc, quæ poſtea ad utilitatem rei feudalis neceſſariò adjecit, aut impendit. *l. 2. C. de Iur. emphyt.* Ratio eſt, tum quod pœnarum interpretatio abſque expreſsâ legis autoritate temerè extendenda non ſit: *l. pen. ff. de Pœn.* Dn. Carpzov. *in Def. for. p. 3. conſt. 28. n. 9.* tum etiam quod illa, quæ tempore commiſsi delicti nondum exiſtunt, per delictum amitti nequeant, ad exemplum Banniti cum publicatione bonorum omnium. Nam hujus bona tempore banni publicati exiſtentia licet fiſco cedant, Andr. Gail. *l. 2. de pac. publ. cap. 16. n. 18.* non tamen idem occupat quæſita per Bannitum poſt ſententiam banni, *per l. 22. §. 5. ff. Mand. l. 8. §. 1. ff. Qui teſt. fac. poſſ. l. 4. C. de Iur. fiſc.* & ea quæ pulchrè hac de re tradit Ant. Peregrin. *de Iur. & privil. fiſc. lib. 3. t. 7. n. 19. & 46.* item *lib. 5. t. 1. n. 132.* Cui adde Dn. Ioh. Herm. Stamm.

tr. de

ſr. de ſerv. perſon. lib. 1. tit. 2. cap. 3. n. 6. Itaque in caſu noſtro, cum ſemel per Feloniam amiſſo feudo illud iterum amitti dici nequeat, ac per conſequens nec acceſſoria ejus, nihil aliud hîc ſtatuendum erit in Vaſallo, aut herede ejus allodiali, quam quod jure communi, in quolibet alio malæ fidei poſſeſſore receptum eſt: ut ſc. ſi quas meliorationes utiles, aut neceſſarias fecerint, eâdem ratione, quâ ille, vel retentionis, vel etiam tollendi jure ſibi conſulere poſsint. *Arg. l. 37. ff. de R. V. l. 38. & 39. ff. de Her. petit.* Schrader. *2. part. 9. principal. ſ. 2. n. 19.* Roſenth. *d. cap. 10. concl. 43. n. 12.*

XXI.

Illud majoris conſiderationis apud DD. eſſe video, an meliorationes Externæ, quæ ſolo facto Vaſalli feudo accedunt, ac per ſe ſubſiſtere poſſunt, feudo per Feloniam amiſſo eodem jure cum reliquis cenſeantur? Nos quocunq; modo feudum ad Dominum aut Agnatos devolvatur negantium ſententiam amplectimur. In mel. exter. peculiare quid explicatur.

Bald. Alvarot. Math. de Afflict. Baro Schenck, & alij in *cap. 1. §. E contrario. de Inv. de feud. fact.* Iul. Clar. & Ioh. Baptiſt. Bajard. *lib. 4. Recept. ſent. §. Feudum. quæſt. 38.* Etenim cum hæc incrementa peculiarem ſuam rationem, & longè diverſam à fundo feudali conditionem ac naturam obtineant, ſeparatâ etiam à feudo indigeant viâ qua acquirantur, feudalia minimè omnium dici poterunt. *Arg. l. Qui fundum. 7. §. 1. ff. Pro empt.* Et quamvis illa quæ hoc modo adduntur, aut uniuntur prædio feudali à Vaſallo, ratione augmenti una eademque res fiant cum his, quibus adduntur (ſc. in quantum eundem poſſeſſorem agnoſcunt) non tamen res illæ unitæ ita unquam additæ videri poterunt, ut planè eandem rationem obtineat cum ea re cui accedunt, cum non uniantur feudo, quatenus feudum eſt, ſive in qualitate feudali. *Arg. text. non inelegantis;* quem hac de re habemus *in l. Cum in fundo. 71. §. pen. ff. de Iur. Dot.* ubi reſpondit ICtus Trypho-

C 2 ninus

minus portionem, quæ pervenit ad maritum ratione portionis uxoriæ dotalis non eſſe dotalem, pertinere verò ad uxorem, cum contemplatione ejus acquiſita ſit. Ioh. Garſias *d. tr. cap. 22. n. 6.* Hinc molendina, agros, prata, vineas, & id genus alia circa fundum feudalem à Vaſallo acquiſita, ſive ea titulo lucroſo ſive oneroſo habeat, feudalia non eſſe extra omne dubium eſt, utut cum prædio feudali uſurpata, agri ſub eodem arati, ſati, & fruges in eadem horrea feudalia conjecti ſint. Roſenthal. *cap. 10. concl. 43. n. 28.* Dummodo de titulo hoc ſpeciali emptionis, donationis, legati, dationis in dotem, permutationis, aut alterius rectè ſatis conſtet, vel in propatulo ſaltem ſit, quod à Domino hujusmodi augmenta extrinſeca Vaſallo non fuerint conceſſa. Nam in dubio rês potius allodiales & liberas quam feudales eſſe, fortis eſt præſumptio, *cap. 1. §. ſi de feud. def. contr. ſit. int. dom. & agn.* Bald. *in l. Libertas, ff. de Stat. hom.* Menoch. *lib. 3. præſ. 89. & 101.* Gail. *lib. 2. obſ. 59. n. 4.* & nemo tam fatuus eſſe videtur, qui non ſibi quam alij, inprimis tanquam Domino, poſſidere malit. *l. Et magis, 4. ff. de ſolut.* Dn. Frantzkius *Var. Reſolut. lib. 1 quæſt 16. n. 61.* Ioſeph Maſcardus *de Probat. vol. 2. concl. 767.* & Roſenthal *de Feud. cap. 12, concl. 14. n. 10.* Quod ſi itaque non tenentur aut recognoſcuntur à Domino, ſed novâ planè inveſtiturâ indigent, antequam naturam feudi induere poſſint, *cap. 1. de Alled.* Gail. *lib. 2. obſ. 158.* Gothofred. Anton. *diſp. feud. 3. th. 3. lit. D.* feudo quoque aperto Dominus prahendens feudum ad meliorationes has manum extendere non poterit, verum rectâ ad heredes Vaſalli allodiales tranſibunt. Quod dilucidè probat *cap. 1. §. E contrario, de Inv. de re al. fact.* Conferatur Bald. *in l. 1. quæſt. 6. ff. de R. div.* & Dn. Frantzkius *in tr. de Laudem. cap. 15. n. 93. & 96.* Fluit ſimul hinc etiam illud, quod Bald. Alvarot, & FF. communiter *in d. §. E contrario*, aſſerunt jurisdictionem, ſi quam aliunde prædio feudali ſuis ſumptibus acquiſierit Vaſallus, feudo aperto non pertinere ad Dominum, verùm ad Vaſallum. Molinæ. *in Conſ. Pariſ. §. 1. Gloſſ. 5. n. 44.* Roſenth. *d. cap. 10. concl. 45. n. 18.* Ratio eſt, quod jurisdictio eſt ex numero eorum, quæ per ſe ſubſiſtere poſſunt, ac proinde ſe

parari poteſt á caſtro, prædiis, & alijs rebus feudalibus, itâ ùt feudum ſit unius, jurisdictio verò alterius. Bartol. Iaſon, item Zaſius *in l. 1. ff. de Iurisd. omn. iud.* Iac. Menoch. *lib. 3. præſ. 97.* Gail. *lib. 2. obſ. 62. n. 9.* Vultej. *lib. 1. de Feud. cap. 5. n. 5.* Bachov. *ad Treutl. vol. 1. diſp. 3. th. 6. lit. F.* Quod mirum ideo nemini videri debet, cum jurisdictio in abſtractò & per ſe conſiderata nihil habeat commune cum proprietate, aut territorio, Franc. de Clap. *in tr. de Iurisdict. concl. 1.* Bodin. *lib. 3. de Republ. cap. 5.* adeo ut prædiis particularibus alicujus caſtri alienatis, jurisdictio ipſa ſimul non cenſeatur eſſe tranſlata; per ea quæ notat Bartol. *in d. l. 1. ff. de Iurisdict.* & territorio, in quo non conſueverit exerceri jurisdictio, ſimpliciter in feudum dato, concedens non dicatur dediſſe jurisdictionem. Bald. *in cap. 1. n. 7. de Allod.* Petr. Paul. Pariſius, *vol. 1. Conſ. 5. n. 4.* Scip. Gentil. *de Iurisdict. lib. 3. cap. 23.* Quamobrem licet jurisdictio acquiſita & unita feudo per Vaſallum unum veluti corpus cum caſtro efficiat, ac propterea putandum ſit acceſſorium caſtro tanquam principali & digniori adhærere, quemadmodum tenuit Præpoſ. *in §. E contrario,* & Auguſt. Berojus *quæſt. 96.* ex deſtinatione tamen Vaſalli, qui non videtur jurisdictionem de novo acquiſitam feudo jure perpetuæ accesſionis unire voluiſſe, aliud dicendum erit, *Arg. l. 24. §. 2. ff. de Legat. I.* Schrader, *2. part. princ. 9. ſ. 2. n. 9. & 10.* Præſertim cum in actu oneroſo, qualis hic foret, nemo facilè ſuum jactare voluiſſe cenſeatur. *l. 25. in pr. ff. de Probat.* Menoch. *lib. 6. præſumpt. 27. n. 9.* Idem juris eſt, ſi jus Patronatus Eccleſiaſticum Vaſallus acquiſiverit: Carol. Molinæ. *in Conſ. Paris. §. 1.* Gloſſ. *5. n. 70.* aut aliquid ultra feudi terminos, non ut Vaſallus, ſed tanquam extraneus, ex aliâ cauſâ vel titulo, quam feudali præſcripſerit. *Arg. aperti textus in l. Debitor. 59. §. 5. ff. Ad SC. Trebell.* Bald. *de præſcript. 4. part. princ. 4. quæſt. 12. n. 14.* Curt. Iunior *de Feud. p. 4. n. 90.* Hartm. Piſtor *p. 2. quæſt. 42. n. 53.* Dn. Carpzov. *in Iurisp. Forens. p. 2. Conſt. 31. Def. 7. in fin.* Ratio eſſe poteſt, quod acquiſita ex titulo & cauſa alicujus rei fiant ejus, cujus res illa eſt, cujusque titulo & cauſa acquiſita ſunt. *Arg. l. 78. §. 4. ff. de Iur. dot.*

 junctâ

junctâ *l. 13. & 33. ff. de Mort. cauſ. donat.* Iohan. Garſ. *d. tr. cap. 22. n. 10.* Cæterum quæ hactenus tradidimus de meliorationibus externis, illa ſubſequentibus quatuor modis ferè limitanda ſunt. *I.* Si vaſallus rem allodialem, ſciens eam eſſe liberam, donandi animo Domino ſubjecerit, eamque vicisſim ab acceptante Domino in feudum recognoverit: Da er dem Lehnsherren ſein Eigenthumb auffgetragen / vnd zu Lehn gemacht hat. Nam hoc modo ex auguſtâ libertate res detruditur in ſervitutem, ac fit feudalis. Roſenthal *de Fend. cap. 6. concl. 68. n. 26.* Carol. Molinæ. *d. §. 1. Gloſſ. 5. n. 15.* Et Dn. Carpzou. *in Iuriſpr. Forens. p. 3. d. Conſt. 31. Def. 7. n. 5.* *II.* Si aliquem hujusmodi actum egerit Dominus aut Vaſallus, ex quo Domino poſſesſio vel quaſi juris feudalis per præſcriptionem acquiratur. *Arg. cap. Cum eccleſia Sutrina. X. de Cauſ. poſſ. & propr.* cum *§. ſi quis per 30. annos. Si de feud. def. controv. ſit int. Dom. & vaſ. 2. F. 26.* ubi Andr. de Iſernia, & Baro Sceuck, item Gothofredus *in Not.* Sonsbeck *in uſus feud. p. 9. n. 42.* Vult. *lib. 1. cap. 9. n. 6.* & Gothofr. Anton. *in Diſp. feud. 5. th. 3.* *III.* Si de deſtinatione Vaſalli contraria, quæ conjunctam habeat expreſſam vel tacitam Domini voluntatem, manifeſtò conſtet, *Arg. l. 42. & 49. ff. d. Acq. rer. dom.* Raphael Cuman. *in l. Servi electione, 5. §. f. ff. de Leg. I.* quem refert & ſequitur Alexander, *Conſ. 169. n. 9. in fin. vol. 1.* V. G. Si contemplatione feudi, & ut conditionem Domini faceret meliorem, jurisdictionem feudo acquiſiverit. *§. E Contrario. in fin. 2. F. 8.* Roſenth. *d. cap. 10. concl. 43. n. 30.* Vultej. *lib. 1. cap. 11. n. 235. in fin.* Idem eſt, ſi tanquam Vaſallus, & ex cauſâ ſive titulo feudi per præſcriptionem ultra fines dato feudo aliquid adjecerit, per ea quæ hac de re notat Schrader. *2. part. 9. princ. ſ. 2. n. 6. & 7.* Hartm. Piſtor. *p. 2. quæſt. 42. circa fin.* & Andr. Fachinæus *contr. Iur. lib. 7. cap. 88.* Denique non procedit noſtra concluſio, ſi augmentum aliquod Vaſallo obvenerit intuitu & occaſione feudi: puta ſi fundator tempore fundationis, vel etiam ex intervallo, conſentiente Epiſcopo, Titio Domino hujus vel illius caſtri, ejusque ſucceſſoribus dicti caſtri Dominis, jus Patronatus ad certam eccleſiam donaverit vel le-

gaverit:

Arg. cap. Quod autem, cap. Illud prætereundum, & cap. Cura paſtorali. X. de Iur. patronat. tunc enim augmentum unà cum feudo aperietur Domino, ad quem feudum pervenit, non heredibus Vaſalli allodialibus. Carol. Molinæus *in Conſ. Pariſ. §. 55.* Gloſſ. *10. n. 4.*

XXII.

Dependet quoque ex his deciſio quæſtionis illius, An non bonis vaſalli confiſcatis meliorationes in feudo factæ ſimul in fiſcum tranſeant? Quid fiat de mel. bon. vaſal. confiſcatis?

Quæſtionis hujus uſus tum maximè ſe commendat, cum Dominus feudi & fiſcus diverſi ſunt, puta quod Vaſallus, cujus bona ob aliquod delictum publicantur, feudum ab alio quam eo Domino habeat, cujus ſubditus eſt. Tunc enim quæritur anne bonis publicatis, inprimis ob delictum Vaſalli non feudale, meliorationes quoque ad fiſcum pertineant, an verò ad Dominum feudi? Et de extrinſecis quidem rectè reſpondetur, quod ſic. Nam cum meliorationes, quæ per ſe & ſeparatim à feudo ſubſiſtunt, feudo ob delictum vaſalli aperto, ad Dominum aut Agnatos pertinere non poſſint, quemadmodum paulò ante demonſtravimus; ſed iis caſibus, ubi præter feudum reliqua vaſalli bona in publicationem non veniunt, ad hæredes vaſalli, tanquam allodialia, tranſeant, ſequitur etiam, quod bonis vaſalli confiſcatis, unà cum reliquis allodialibus ad fiſcum devolvantur. Roſenthal, *cap. 11. concl. 12. n. 11. & 13.* De intrinſecis verò, cum feudo per feloniam amiſſo, ob culpam & delictũ vaſalli pars ipſius feudi factæ ſint, atque illud omninò ſequantur, ſive ad Dominum, ſive ad Agnatos feudum tranſeat, dicendum non immeritò videtur, quod quemadmodum feuda ipſa regulariter in fiſcum non tranſeunt publicatis bonis à Domino, cui ſubditus eſt vaſallus, ita neque meliorationes hæ in feudo ſubſiſtentes. *Arg. cap. In generali. Si de feud. def. int. Dom. & vaſ. cont. fuer. & l. 3. ff. de Bon. damn.* junſto tex. optimo, *in cap. A nobis. 21. X. de ſent. excommun.* Bald. *in cap. 1. §. ſi verò vel in totum. n. 3. Qualit. ol. feud. pot. alien.* Sonſbeck

beck *in uſu feud. p. 13. n. 30. & 51.* Vdal. Zaſius *de Feud. p. 10. n. 99.* Hartm. Piſtor. *lib. 2. p. 1. q. 15. n. 7.* Soarez *in theſ. recep. ſent. lu. F. n. 67.* eleganter & prolixè Roſenthal, *cap. 11. concl. 11. 12, & 13.* iuncto *cap. 9. membr. 1. concl. 13.* M. Ant. Peregrin. *de Iur. fiſc. lib. 5. t. 1. n. 106.* Vultei *lib. 1. cap. 11. n. 251.* & Dn. Ioh. Herm. Stamm. *tr. de ſerv. perſon. lib. 1. t. 1. cap. 1. n. 31. & lib. eodem, t. 2. cap. 3. n. ult. ac pen.* Ratio hujus rei eſſe poterit, quod vaſallus, qui graviter adeo deliquit, ut omnia ipſius bona fiſco ſint illata, habeatur quaſi pro mortuo, ac feudi incapaci. *l. 65. §. publicatione. ff. Pro ſoc. l. 3. ff. Ad L Iul. peculat.* Et quia hujuſmodi honeſtè in curia Domini amplius ſtare non poteſt, *in princ. cap. An. ill. qui interf. frat. Dom. ſui feud. am.* eo ipſo quo proſcribitur, ac bona ipſius publicantur, feudum quoque amittere videtur, quod vel ad Dominum, aut ad proximũ etiam Agnatum deſcendit, non ad fiſcum, ſecundum diſtinctionē traditam *in pr. d. c.* juncto *c. Item ſi fratrem. Quib. mod. feud. am. & cap. Denique. final. Quæ fuit pr. cauſ. benef. amit.* Iam autem cum meliorationes internæ per delictum vaſalli pars feudi factæ ſint, atque in pœnam ejus eodem jure cum ipſo feudo cenſeantur, ad quemcunque feudum tranſierit, ſive is Dominus ſit, ſive Agnatus proximus, ad eundem quoque meliorationes hæ ut tranſeant neceſſe eſt, excluſo fiſco. *Per ea quæ pluribus hac de re diſſeruimus in initio th. 18.* Nec eſt quod nos moveat autoritas Ant. Peregrini, qui *lib. 5. de Iur. fiſc. t. 1. n. 131. in fin.* hoc limitare annititur in caſu, quo delictum in alium quam in Dominum eſt commiſſum: ut tunc non minus ad fiſcum, quam alium creditorem, pertineat meliorationes internæ. Nam quod ibidem præſupponit vir doctiſſimus, in præſenti ſpecie meliorationes ad heredem vel Creditores vaſalli pertinere, hoc domi ſuæ eſt falſiſſimum: quia nempe indiſtinctè, tam in caſu quo feudum ob delictum in alium, quam in eo, quo ob delictum in ipſum Dominum commiſſum aperitur, meliorationes feudum ſequuntur. Bald. Alvarot. Baro Scenck, & FF. communiter *in ſæpe d. §. Si vaſallus. Hic finitur lex,* Burſat. *conſil. 43. n. 18. vol. 1.* Roſenthal. *cap. 10. concl. 43. n. 4.* ubi pro more ſuo in hanc

in hanc ſententiam plurimos allegat. Hart. Piſtor, *lib. 2. q. 42. n. 29.* Vultei *lib. 1. cap. 11. n. 249.* Rittershuſ. *lib. 2. part. feudal. cap. 6. quæſt. 38.* Gothofr. Anton. *Diſp. feud. 12. th. 7. lit. C.* Thom. Lindeman *Exercit. feudal. ultimâ. cap. 11. n. 31.* & Dn. Franzkius *tr. de Laudem. cap. 15. n. 78.* ubi inquit *hanc eſſe veriſſimam, communem, inque praxi receptam ſententiam.*

XXIII.

Hactenus vidimus quid juris ſit in melioramentis, ubi ob culpam & delictum vaſalli ad Dominum aut Agnatos feudum devolvitur: proximum nunc eſt, ut de illo caſu circumſpiciamus, quo abſque culpâ fidelis feudum finitur. Nam hic videtur paulò eſſe intricatior, ac plus habere difficultatis, quam tamen per ſubſequentes concluſiones facilè extricabimus. Declaratur caſ. quo citra culp. vaſal. feud. finitur.

Citra culpam feudum ferè finitur Interitu rei feudalis, *2. F. 23. §. ult. verſ. uſusfructus.* junčto *§. pen. I. de uſufr. cum l. pen. C. Eod. l. 1. C. de Iur. emphyt. l. 15. §. 2. ff. Locat. & l. 12. §. fin. ff. de Reb. aut. ind. poſſid.* Feudi refutatione, *2. F. 29. 58. & 44.* Lapſu temporis, *1. F. 2. in pr.* Clericatu *2. F. 25. §. Qui clericus. & t. 21, in fin.* Vitio corporis, *1. F. 6. §. Mutus. & 2. F. 36.* Voluntate Domini *1. F. 2. & 11. item 2. F. 94.* & denique morte vaſalli, ſi nullos reliquerit ſucceſſores feudales. *1. F. 5. §. Rurſus.* item *2. F. 12. & 18.*

XXIV.

Quæ naturaliter, & abſque facto hominis feudo uniuntur, illa una cum ipſo feudo ad Dominum, cui feudum aperitur, regulariter tranſeunt. I. in Increment. Natural.

Textus eſt in *l. 1. 2. & 3. C. de Alluv. l. 9. §. Alfenus. ff. de damn. infect. l. 7. §. 2. ff. de Acq. rer. dom. l. 4. ff. de Iur. dot l. 34. ff. de R. V. §. Rurſus, 6. ſi de Inv. feud. contr. fuer.* ubi FF. communi-

ter,

ter. Bartol. *in tr. de Alluvione*, verſ. *Noſtro*, item verſ. *Acquiritur nobis, in pr.* Alvar. Valaſc. *de Iur. emphyt. quæſt. 25. n. 20.* Molina *de Contract. tr. 2. Diſp. 462. in princip.* & noviſſimè Ioh. Oetinger *de Iure ac controv. limit. lib. 2. cap. 2. & 3.* Certiſſimum enim eſt, quod illa quæ per alluvionem fundo noſtro uniuntur, aut per ſubitum fluminis impetum cum eodem coaleſcunt, eo jure noſtra fiant, quo ager augmentatus primum ad nos pervenit: *§. Præterea, 20. & 21. I. de R. D.* cum *l. 5. §. 3. ff. de R. V.* neque incrementum illud cenſetur novus ager, ſed pars primi eſt. Arg. optimi text. *in l. ſi ego emi. 11. §. 7. ff. de Publ. in rem act.* Atque adeo quicquid prædio per alluvionem adjicitur, illud irrevocabiliter ei accedit, quia alluvio juris gentium eſt, *l. Adeo. §. 1. ff. de Acq. rer. dom.* æque ac ſunt acquiſitiones illæ, quæ fiunt per contractus jure gentium inventos: *l. 5. ff. de Iuſt. & iur.* & ſi ſententia ab homine lata irrevocabilis eſt. *l. Iudex poſtea quam, 55. ff. de Re iud.* quantò magis ſententia legis juris gentium auctoritate roborata, talis erit. *d. l. Adeo, §. 1. & l. Ergo 30. §. 3. ff. de Acq. rer. dom.* Ex quo fit ut Domino habenti in prædio augmentato plenam proprietatem incrementum illud acquiratur ratione pleni, ac directi dominij, *l. 1. C. de Alluv.* & habenti quaſi dominium accreſcat jure utilis ſui dominij, *§. Rurſus. ſi de inv. feud. cont. fuer.* habenti uſumfructum accreſcat jure uſusfructus, *l. 9. §. 4. ff. de uſufr.* habenti jus pignoris accreſcat jure pignoris, *l. 16. in pr. ff. de Pignor. l. 18. §. 1. ff. de Pign. act.* Marito poſſidenti ex cauſa dotis, accreſcat jure dotis, *l. 4. ff. de Iur. dot.* Legatario jure legati, *l. 16. ff. de Leg. III.* Habenti verò poſſeſſorium titulum, in poſſeſſione, titulo & præſcriptione accedat. *l. 7. §. 1. ff. Pro empt.* Quòd adeo verum eſt, ut ne quidem hic opus ſit nova præſcriptione ad præſcribendum incrementum, verum perfectè illud præſcribatur eo ſolo tempore, quod reſtabat in præſcriptione fundi principalis. Vide Gloſſ. & DDores communiter *ad d. l. 7. §. 1.* in verb. *Conditionem, ff. Pro emptore.* Cum itaque Vaſallus in feudo utile dominium habeat, huic conſequens eſt, ut etiam ipſi jure utilis dominij augmentum per alluvionem accreſcat, quod tamdiu apud ipſum

pſum permanebit, quamdiu duraverit ipſum feudum: hujus verò jure quocunque modo ſoluto, unà cum ipſo feudo ad dominum revertetur, ac cum directo dominio conſolidabitur. *§. Si quis de manſo. Si de Inveſt. feud. contr. fuerit.* ubi vide Andr. de Iſernia, Bald. Alvarott. & Præpoſit; item Henric. à Roſenthal *cap. 10. concl. 44. n. 18. & ſeqq.* Et quamvis non deſint ex Feudiſtis, qui hic diſtinguendum putent inter incrementum latens, & incrementum apparens, ut ad exemplum uſufructuarij vaſallus illud tantum habeat ratione utilis ſui dominij, hoc verò Dominus, Alvarot. *in §. ſi quis de manſo. ſi de inv. feud. contr. fuer. Arg. l. Item ſi fundi. 9. §. 4. ff. de uſufr.* nobis tamen contraria DDorum ſententia, qui ad vaſallum utrumque incrementum, cum qualitate feudali, pertinere exiſtimant, longè rectior videtur. Iacobus de Bellovis. & Baro Scenck in allegato *§. ſi quis de manſo.* Sonsbeck *in uſus feud. p. 15. n. 64.* Iul. Clar. *lib. 4. Rec. ſent. §. Feudum. quæſt. 88.* Roſenthal *cap. 10. concl. 44. n. 22.* Schraderus *2. part. 9. pr. ſect. 2, n. 2.* & Dn. Carpzov. *in I. F. S. p. 2. Conſt. 31. Def. 7. n. 2.* Deciſio hujus rei hinc deſumi poteſt, primo quod Vaſallus longè plus juris habeat in feudo, quam uſufructuarius, ſiquidem ille utile dominium habet, quod etiam ad heredes transmittit, cum utili rei vindicatione: hic verò cum actione confeſſoriâ ſolùm jus uſusfructus, quod morte exſtinguitur. *l. 3. & 5. ff. ſi uſusfr. pet.* juncto *§. Rei autem, de Inv. de re al. fact. cap. 1. §. Ex eadem, de l. Corradi. cap. 1. §. ſi quis. Quo temp. mil. inv. pet. deb. & cap. 1. §. Præterea, de prohib. Feud. al. per Frid.* Conferatur Bald. & Afflict. *in d. §. ſi quis de manſo.* Deinde non videtur abſonum, aut à ratione alienum, ut quemadmodum omne damnum in re feudali contingens ad vaſallum ſpectat, *cap. 1. §. E contrario. de Inv. de re al. fact.* Roſenth. *cap. 10. concl. 43. n. 90. in fin. & 91.* niſi funditus feudum abſumat: *l. 1. C. de Iur. emphyt.* ita quoque omne augmentum naturale, ſive latens ſit ſive patens, ipſum ſequatur. *l. ſecundum naturam. 10. de R. Iur.* Valaſcus *de Iur. emphyt. quæſt. 16. n. 3.* Et tertio non video quid cauſæ ſit, quare aliud in augmento latenti, quam apparenti obtinere debeat, cum pro utroque

eadem

eadem pugnet ratio, ac proinde idem etiam utrobique jus obtinere debeat. *Arg. l. 1. C. de Alluv.* ubi Anton. Perez. *n. 1. &* *5.* junctâ *l. 1. ff. de rip. muniend.* quemadmodum prolixius illud explicat Carol. Molinæus *in Conſ. Pariſ. §. 1. Gl. ſ. 5. n. 121.* cui addi omnino debet locus non inelegans Aggeni Vrbici *in Comm. ad Iul. Frontinum de Controv. lim. & divis. agror. cap. de Controverſiâ, vers. de Alluvione.* Verba ejus hæc ſunt: *De alluvione obſervatio eſt, ſi in occupatis agitur agris, quicquid vis aquæ abſtulerit repetitionem nemo habet, quæ res neceſſitatem ripæ muniendæ injungit.* Et interjectis nonnullis: *At Caſſius Longinus vir prudentiſſimus iuris autor hoc ſtatuit, ut quicquid aqua lambendo abſtulerit, id poſſeſſor amittat, quoniam ſcilicet ripam ſuam ſine alterius damno tueri debet.* Huc uſque Vrbicus, citante Ioh. Garſiâ Galleco, *d. tr. cap. 22. n. 42.* Sed quid dicendum erit de inſulâ, cum nimirum flumen feudum alluens locum qui alvei erat ſiccum reliquerit, ac circumfluere cœperit: vel etiam paulatim alluendo locum eminentem ſuprà alveum fecerit? *l. 30. §. 2. cum l. 7. §. 3. l. 29. l. 56. & l. pen. §. 3. ff. de Acq. rer. dom.* Breviter inquam idem hic obtinere, quod antea diximus. Accreſcit enim vaſallo prope ripam feudum poſſidenti ratione utilis ſui dominii, Domino verò directo ratione directi, ſive proprietatis. *d. l. 7. §. 3. ff. de acq. rer. dom. & §. Inſula, 22. I. de R. D.* Dependet autem hujus acquiſitionis ratio ex eo, quod alveus, cui inhæret inſula, quatenus ejus uſus à flumine non impeditur, cenſeatur pars prædii vicini. Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. diſp. 20. th. 5. lit. H.* Cui accedit & illa, quam reddit Fr. Hotoman. *lib. 1. obſ. 23.* quod inſula in flumine naſcens efficiat, ut flumen in ripam exundet, ac partem agri vicini occupet: ut proinde æquum ſit, quantum de ſuo prædio Dominus vicinus perdiderit, tantum in inſula enata recuperet. Idem juris eſt in alveo, quem flumen dereliquit, atque alio fluere cœpit, acquiritur enim hic vicino fundo feudali jure derelictionis, *l. 7. §. 5. ff. de Acq. rer. dom. §. Quod ſi. 23. I. de R. D.* Peregrinus *de iur. fiſc. lib. 8. de Alluvione n. 72.* Etenim cum fluvius antea occupando alveum fecerit ex agro, qui privatus fuerat, alveus quoque poſtea relictus, ac à vi fluminis

liberatus

liberatus, privati agri jure contrà cenſeri debet, atque adjici viciniſ prædiis, quibus antea fuerat detractus. *Arg. l. 30. §. 1. in f. ff. de Acq. rer. dom.* Hugo Donell. *lib. 4. Com. de iur. civ. c. 28.* Quod confirmatur etiam ex eo, quod de flumine novum alveum occupante iterumque eum relinquente traditur in *d. l. 7. §. 5. ff. de Acq. rer. dom.* & *§. Quod ſi, I. de R. D.* Neque attendi debet, quod fortè alius interea Dominus factus ſit prædij vicini, quoniam non perſonæ, ſed prædio hæc adjectio fit, quemadmodũ rectè notat Bachov. ad *Treutl. Vol. 2. diſp. 20. th. 5. lit. G.* Quod ſi tamen agrum limitatum, ſive certis ſuis terminis circumſcriptum, aut menſurâ taxatum vaſallo in feudum dederit Dominus, quo certius ſcire poſſet, quantum feudi nomine ſibi eſſet poſsidendum, non procedet hæc noſtra doctrina, quia tunc incrementa hæc indiſtinctè ad Dominum pertinebunt *l. In agris. 16. ff. de Acq. rer. dom. l. Rutilia Polla, 69. ff. de Contrh. emption. & l. 1. §. 6. ff. de Fluminib.* Franc. Connanus *lib. 3. Comm. iur. civil. cap. 5. n. 4. & 5.* Carol. Molinæ. *in Conſ. Paris. §. 1. Gloſſ. 5. n. 120.* Bachov. *d. diſp. 20. th. 5. lit. E.* & Henricus à Roſenth. poſt plurimos allegatos, *cap. 10. concl. 44. n. 24.* Idem eſt ſi in curia vaſalli, hoc eſt, in ipſo fundo, agro, aut re feudali Dominus aliquid ſibi reſervaverit; *Arg. cap. Iudex ab apoſtolicæ*, in verb. *Etſi in totum. de off. & poteſt. iud. deleg. in 6.* præſumitur enim hoc modo omnia ſibi retinuiſſe incrementa, & ſtrictè id ſolum conceſsiſſe, quod tempore conceſsionis extitit, niſi vaſallus manifeſtiſsimis probationibus contrarium probare poſsit, hoc incrementum videlicet ad ſe vel ex pacto veteris inveſtituræ, vel etiam ex inveſtiturâ novâ pertinere. *§. Si quis de manſo. Si de inveſt. feud. controv. fuer.* Vdalr. Zaſius *in tr. de Feud. part. 6. n. 47.* Sonsbeck. *in us. feud. p. 15. n. 64.* & Iacob. Cujacius *in d. §. ſi quis de manſo.* Quæ contraria probatio, ſi vaſallus in poſſeſsione incrementi non ſit, eo modo fieri debet, quo feudi novi inveſtitura fieri alias ſolet, hoc eſt, per pares curiæ: textus eſt apertus *in ſæpe d. §. ſi quis de manſo.* Schraderus *p. 5. cap. 6. n. 28.* Sed ſi fidelis in poſſeſsione incrementi fuerit, tunc ſufficit eum jurare, ſe cum incremento inveſtitum eſſe. Per d. text.

 ſi quis

ſe quis de manſo, cui addatur Roſenthal. *cap. 11. concl. 44. n. 27. & 28.* Denique addo, ſi ex tenore inveſtituræ, aut pactis inter Dominum & vaſallum initis manifeſtò conſtare poſsit, quid de incrementis naturalibus fieri debeat, ea omninò erunt ſervanda. *l. Sicut initio, 5. C. de Obl. & Act.* &. *l. ſemper in ſtipulationibus, 34. ff. de R. I.* Schraderus *p. 5. cap. 6. n. 26, in pr.* Gothofr. Anton. *Diſp. feud. 12. th. ult. lit. E. in fin.* & Dn. Frantzkius *in d. tr. de laudem. cap. 15. num. 56.* De mineralibus, cretis, arenis, lapidicinis, venis marmoreis, ſalinariis, metallicis, tàm aureis, quam argenteis, quæ ſolius naturæ benignitate in prædio clientelari proveniunt, ut nonnihil quoque dicamus, manifeſtius eſt quam quod prolixè indicari debeat, ea omnia uſui & commodo vaſalli cedere, modo ſine deterioratione fundi feudalis effodiantur, aut exerceantur, *§. E contrario. de Inv. de re al. fact.* Etenim cum ad vaſallum pro ratione utilis dominii, quod habet, non ſolum fructus, verum etiam proventiones, emolumenta, ac omne commodum pertineat, negari omninò non poterit, quin & hæc incrementa aut acceſsiones ejuſdem ſint, *Arg. l. 7. in pr. l. 9. §. 2. l. 13. §. 5. & 6. l. 59. §. 1. ff. de uſufr.* quæ tamen poſtea unà cum ipſo feudo, cujus pars ſunt, *Arg. l. 44. ff. de R. V. cum l. 21. ff. de Inſtr. & inſtrum. leg.* ad Dominum directum devolvuntur; Roſenthal. *cap. 5. concl. 91.* refuſis ſolummodo impenſis heredibus vaſalli allodialibus, ſi quas amplas fecerit, & venæ ejus naturæ ſint, ut id quod ex iis deducitur renaſcatur, aut aliâs earum inventio perpetuam fundo feudali afferat utilitatem. *Arg. l. f. ff. de fund. dotal.* junctâ *l. 7. §. 13. ff. ſol. matrim.* ubi Alexander & Caſtrenſis *n. 3.* Gloſſ. *ad l. 13. §. Et ſi fortè. ff de uſufr.* Ioh. Garſias *d. tr. cap. 22. n. 47.* Ioh. del Caſtillo *de uſufr. cap. 37.* & Iacob. Cujac. *lib. 15. obſ. 21.* Neque facere hic poſſumus cum iis, qui exiſtimant quod metalla quærere, aut metallaria habere, hodie ſit ius imperiale, ſive de Regalibus, in ſignum eminentiæ, ſummæ Majeſtati reſervatis, *FF. in cap. un. Quæ ſint regal.* verb. *Argentariæ.* maximè de generali conſuetudine Germaniæ, qua inductum ferunt, ut abſque Imperatoris, vel ejus, qui de fodinis in-

veſtitus

veſtitus eſt, conſenſu nemini, nequidem in fundo proprio,
metalla præſertim nobiliora quærere liceat. *Arg. textus Aur.
Bull. cap. 9.* cujus verba hæc ſunt: Wir wöllen vnd ordenen mit
dieſem gegenwertigen geſetz ewiglich zuhalten/ vnd erleutern ſol-
ches mit rechten wiſſen/ daß vnſere nachkommen/ die Könige in
Böhmen/ auch alle vnd jede Churfürſten/ Geiſtliche/ vnd Welt-
liche/ die hinfüro ſein werden/ alle gruben Goldes vnd Silbers/
die Ertz des Kupffers/ Zinnens/ Bleis/ Eiſens/ Stahels/ vnd wel-
cherlei andere geſchlechte es ſein: auch Saltzes daß funden iſt/ vnd
noch gefunden wird/ fortan zu jeden zeitten/ jhn erzmeldeten
Königreich/ vnd in allen anderen theilen vnd landen/ ſo den ſelbi-
gen Königreich vnterworffen ſind/ vnd die obberürte Fürſten in
jhren Fürſtenthümen/ Herſchafften/ vnd zugehörungen/ recht vnd
rädlich mögen beſitzen/ mit allen rechten nichtes außgenommen.
Adde Knichium *in Comment. de Sax. non prov. iur. cap. 5.* verb.
Berg vnd Saltzwerck. *n. 109.* Arumæum *Diſcurs. 5. ad A. B. th. 5.* &
noviſſimè additiones ad Rumelin. *Diſſ. 8. in A. B. th. 10.* Diſtin-
guimus enim cum Regn. Sixtino *lib. 2. de Regal. cap. 16. n. 32.*
inter metalla, quæ effodiuntur in locis publicis Romani
imperii, atque ſic ſimpliciter ſunt de Regalibus: per hæc
quæ notat Sixtinus *d. loc.* & metalla, quæ inveniuntur in
fundo privato, atq; ad privatos pertinent, ſive fundus Do-
mini proprius, ſive feudalis fuerit. Vide jura ſuperius alle-
gata, & cum iis conjuge *l. 4. §. 7. ff. de Cenſib. l. 32. §. 2. ff. de
uſu & uſufr. leg. l. 32. ff. de Iur. dot. & opt. text. in l. 3. §. f. item l. 4.
ff. De reb. cor. qui ſub tut. vel cur. ſunt non al. l. 3. & 6. C. de Metallar.
lib. 11.* Dummodo tamen canon metallicus, id eſt, decimæ
Dominis locorum ac fiſco debitæ inde pendantur. *d. l. 2. & 3.
C. de Metallar. l. 11. C. Th. eod. & cap. un. Quæ ſint regal.* Regner.
Sixtin. *d. tr. lib. 2. cap. 16. n. 34. 45. & mult. ſeqq.* Peregrin. *de
Iur. fiſc. lib. 4. t. 2. n. 11.* Ioh. Gars. *de Exp. & melior. cap. 22.
n. 47.* Roſenthal. *de feud. cap. 5. concl. 91.* Vultei. *1. Feud. cap. 5. n.
7.* Atque hoc modo etiam textũ paulò ante ex Aur. Bulla ci-
tatum poſt alios rectè explicant Gerl. Buxtorf. *ad d. cap. 9.
concl. 89.* Hennig. Goeden. *conſil. 3. n. 9. tit. de Argentifod.* Bôcer.
de Regalib. c. 3. n. 166. Sixtin. *d. tr. lib. 2. cap. 16. n. 80.* item Matth.

Steph.

Steph. *de Iurisd. lib. 2. p. 1. cap. 5. n. 52.* adeo ut ſumma ejus hæc ſit: Siquidem fodinæ in propriis Electorum locis inveniantur, Electores decimam, quæ imperiali fiſco olim pendebatur, retinere poterunt: ſin verò in locis privatorum illæ aperiantur aut proveniant, etiam decimam, imperiali fiſco inde debitam, percipere jus ipſis erit: niſi fortaſsis conſuetudo exſtet in contrarium, id quod de Germaniâ pluribus negat Sixtinus *d. tr. lib. 2. cap. 16. n. 58. & n. 75. cum ſeqq.*

XXV.

Quod ſi quoque caſu, temporis beneficio, aut rerum viciſſitudine quædam in feudo provenerint acceſſiones, illæ æquè ac incrementa naturalia feudo finito ad Dominum pertinebunt.

Nam cum in his neque expenſa, neque pretium ullum, aut induſtria vertatur vaſalli, nullo quoque jure horum quippiam ſibi vindicare, aut æſtimationem eorum petere poterit. *Arg. l. 45. in fin. ff. de uſur.* Quod ſi itaque inundationes aquarum fundum feudalem multò uberiorem ac fructuoſiorem reddiderint, quam ab initio fuerat: *l. 1. §. 9. ff. de Flum. l. 7. §. 6. ff. de Acq. rer. dom l. 10. §. 1. ff. de per. & com. rei vend.* terra horribili motu concuſſa novos montes propulerit: *l. 24. §. 3. ff. de dam. infect. l. Marcius. 59. ff. locat.* aut ex mari veniens procellarum impetus maximam piſcium vim feudali prædio addiderit, *Arg. l. 15. §. 2. ff. locat.* cum *l. 3 §. 14. ff. de Acq. poſſ.* omnia hujuſmodi incrementa, ſine ullâ æſtimationis refuſione, cum ipſo feudo ad Dominum revertentur. Ioh. Garſias *ind. tr. cap. 22. n. 17.* in verb. *Quod ſi nec extenſa.* Nec aliud quicquam eſt, ſi fundi feudalis pretium, quod, cum in feudum daretur fundus, vix erat ter mille aureorum, per temporis ac rerum viciſsitudinem, ad decem aureorum millia, tunc cum feudum ad Dominum redit, excreviſſe animadvertatur. *Arg. l. Pretia rerum. 63 ff. ad l. falcid.* junctâ *l. 3. §. 5. ff. de Iur. fiſc.* Nam quemadmodum valoris di-

ris diminutio ad Dominum pertinuiſſet, ita quoque augmentum ejus ipſi cedet, cum rem omnino ſequatur. Socinus *lib.1.conſil.224.* Carol. Molinæ. *in Conſ. Pariſ. t.1. Gloſſ. 5. n. 96.* Schraderus *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 1. in fin.* item Dn. Frantzkius, *var. reſol. lib. 1. quæſt. 2. n. 38. & 39.* De theſauro in fundo feudali invento non immeritò quoque hoc loco quæritur, ad quemnam pertineat, utrumne ad Dominum, an ad Vaſallum? *l. 1. § 1. ff. de Acq. rer. dom.* Accurſius *in §. Theſauros* ſuper verb. *In ſuo, I. de R. D.* totum hunc lucro vaſalli cedere exiſtimat, ſi ipſe eum invenerit: ſin alius, dimidiam partem; quod ibidem ſequitur Angelus, & Iaſon. Item Andr. de Iſernia, Præpoſit. ac Iacob. Alvarot. *in tit. Quæ ſint Regalia* ducti inprimis argumento *§. Theſauros. 40. I. de R. D. & l. un. C. de Theſaur.* vers: *Nam in ſuis.* junctâ *l. 63. §. 1. ff. de Acq. rer. dom.* Quibus adde Henr. á Roſenthal, *in cap. 5. concl. 93.* Carol. Molinæ. *in Conſ. Pariſ. t. 1. §. 55. Gloſſ. 10. n. 48.* Regn. Sixtin. *de Regal. lib. 2. cap. ult. n. 48.* & Dn. Bened. Carpz. *in I. F. S. p. 2. conſt. 53. Def. 5. & 6. n. 7.* Dummodo hæc inventio non fiat per magicas artes, aut incantationes, nam tunc totus theſaurus fiſco applicatur. *l. 5. C. de Malef. & Mathem.* junctâ *l. 1. in pr. ff. de Iur. fiſc.* Nemeſis Carol. *t. 109. ubi* Remus & Zieritzius. Did. Covarr. *in Relect. ad cap. Peccatum. de R. I. in 6. p. 3. §. 2.* in verb. *His vero.* Roſenthal. *cap. 5. concl. 93. n. 3.* Sixtin. *d. tr. cap. ult. n. 34* & Bachov. *ad Tr. Vol. 2. diſp. 20. th. 2. lit. G.* Atque hoc adeo verum eſſe putant, ut etiamſi Dominus directus ipſe in re feudali theſaurum inveniat, tamen pars dimidia vaſalli ſit, perinde ac ſi in proprio fundo eſſet repertus. Carol. Molinæ. *d. n. 48.* & Roſenthal. *cap. 5. concl. 93. n. 3.* Cæterum diſſimulari haud poteſt; quod non deſint ex Interpretibus, qui ab hac ſententiâ, qua vaſallo in acquirendo theſauro idem tribuitur, quod Domino directo in ſuo fundo, ſeceſsionē faciant, ex eo præcipuè fundamento, quod vaſallus propriè ac pleno jure dominus non ſit, *Arg. l. 2.* in verb. *Qui fundorum non ſunt domini. C. de Muncip. & Colon. lib. 11.* Lex autem cum non deferat theſaurū integrum niſi invenienti in loco ſuo, hoc eſt, proprio; *d. l. un. C. de Theſauris. lib. 10.* ſufficere ipſi putant, ſi

 pro uti-

pro ûtili dominio quod habet; dimidiam theſauri partem conſequatur, reliqua parte Domino directo reſervatâ. *Arg. l.7.§.ſi ſundum,12.ff.ſol.matrim.& l.3.§.10.ff.de Iur.fiſc.* Vide pluribus Alv. Valaſc. *de Iur.emphyt.q.15.*& Ioh. Garſ.*d.tr.de Exp.& Melior. cap.22.n.52.*

XXVI.

III. In Meliorat. induſtrial. Hæc de incrementis Naturalibus, & Caſualibus; ſequuntur meliorationes *Induſtriales*, quæ quemadmodum operâ & ſumptu vaſalli feudali prædio accedunt, ita quoque feudo citra culpam & delictum aperto, ad Vaſallum, heredes ejus allodiales, imo etiam Creditores pertinent: ſive ad Dominum; ſive ad Agnatum, aliumve ſucceſſorem feudum devolvatur.

Et de meliorationibus extrinſecis, quæ non uniuntur feudo, ut feudo; ſive jure perpetuæ acceſſionis, dubij nihil eſt. Nam quemadmodum augmenta naturalia, & caſualia ſine ulla compenſatione ad Dominum pertinent: Dn. Frantzkius *tr.deLandem.cap.15.n.63.* ita quoq; meliorationes hæ indiſtinctè ad Vaſallum ſpectant. Hartm. Piſt. *lib.2.quæſt.42. n.42.* & Dn. Carpzov. *in Iurispr. Forens.p.3.conſt.31. def.7.n.7.* Quod ita certum eſt, ut & feudo per feloniam amiſſo, nullo jure Dominus quidquam ex iis contingere poſſit. Per ea quæ prolixè notavimus *th.21.* Add. Carol. Molinæ. *in Conſ Paris.§.1.Gloſſ.5.n.20.* De internis meliorationibus verò, ut & reliquis ſumptibus, quos vaſallus in rem feudalem fecit, tenendum omninò eſt, quod non niſi feudo ſine culpâ finito ad Vaſallum pertineant. Textum ad hoc habemus diſertum *in §.ſi Vaſallus. Hic finitur lex.* ubi FF. communiter. Iaſon *in l.2.C.de Iur.emphyt.n.26.* & Anton. Perez *in Exp. Cod. ibidem, n.19.* Alv. Valaſc. *de Iur.emphyt. quæſt.25.n.6.* Schraderus poſt plurimus allegatos, *p.7.cap.5.n.7.& 2.part.9.pr.ſ.2.n.20.* Roſenthal. *cap.10.concl.43.n.16.& n.36.* Ioh. Garſias. *d.tr. cap.12.n.85.* Matth. Berlich. *p.3.concl.pr.42.n.27.* Herm. Vult.

lib.1.

lib 1. cap. 11. n. 231. Gothofr. Anton. *Diſp. feud. 12. th. 7.* Thom. Lindeman. *Exercit. feud. 3. cap. 11. n 33.* Dn. Bened. Carpzov. *in Iuriſpr. Forenſ. p. 3. conſt. 31. def. 1. & 3.* & noviſſimè Dn. Frantzkius *in ſuperius laudato tr. cap. 15. n. 68.* Rationem hujus juris ſi quis quærat, non incongruè hanc reddi poſſe exiſtimo. Primò quod vaſalli abſterreri non debeant à conſervandis & meliorandis rebus feudalibus, *Arg. §. E contrario. de Inv. de re al. fact.* junctâ *l. 5. C. de Obl. & Act.* quod fieret, ſi Domini aut Agnati, quorum conditionem fecerant meliorem, cum damno & jactura ipſorum locupletarentur, adverſus *l. 14. ff. de Cond. indeb. & l. 38. §. ſed benignius, ff. de Pet. her.* Deinde cum impendens in rem feudalem ſciat ſe facere ſumptus in rem alienam cum animo obligandi Dominum, quid æquius eſt, quam eundem ſumptus hos repetere. *Arg. l. 14. §. 1.* verb. *Id ago, ut alium mihi obligem. ff. Com. div.* junct. *l. 33. in pr. ff. de Cond. indeb. l. 6. §. 3. ff. de Neg. geſt.* Et ita reſponſum eſt in cauſa commodatarij, *l. In rebus, 18. §. 2. ff. Commod.* in cauſa Creditoris, qui inſumpſit in pignus, *l. 8. in pr. ff. de Pign. act.* item in cauſa coloni impendentis in rem conductam, *l. pen. ff. Locat.* Servat hoc modo meliorationes ad perpetuam utilitatem factas Emphyteuta emphyteuſi ſine culpâ finitâ. Iaſon *ad l. 2. C. de Iur. emphyt. n. 27.* Menoh. *Remed. 15. de Recup. poſſ. n. 502.* Alvar. Valaſc. *de Iur. emphyt. quæſt. 25. n. 25.* & Dn. Carpzov. *in Iuriſpr. Forens. p. 2. conſt. 38. Def. 12. in fin.* Maritus, ſoluto matrimonio, impenſas quas fecit in rem dotalem *l. 7. §. fin. ff. ſol. matr.* ubi DD. communiter, juncta *l. 1. & 3. ff. de Imp. in res dot. fact.* Vſufructuarius ea quæ erogavit in uſumfructum *l. 7. C. de uſufr.* Menoch. *de Arbitr. Iud. quæſt. lib. 2. cent. 3. caſ. 215. n. 5.* & Dn. Carpzov. *in I. F. S. p. 3. conſt. 31. Def. 9.* Donatarius melioramenta rei donatæ, ſoluta donatione propter liberorum ſupervenientiam. Andr. Tiraquell. *in Repet. l. ſi unquam, 8.* in verb. *Revertatur, n. 288. C. de Revoc. donat.* Clericus quæ impendit in res Eccleſiæ de bonis ſuis patrimonialibus *cap. 1. & 2. Cauſ. 12. quæſt. 4.* Matth. de Afflict. *cap. 1. §. ſi vaſallus, n. 14. Hic finitur lex.* Deniq; is qui contractum reſcindi petit, vel per reſtitutionem in integrum, *l. Intra utile. 39.*

le. 39.

te, 59. §. 1. ff. de Minor. vel propter enormem læſionem, Arius Pinell. *p. 2. cap. 3. n. 1. ad l. 2. C. de Reſc. vendit.* Dn. Frantzkius *tr. de Laudem. cap. 14. n. 211.* vel etiam ob conditionem contractus reſolutivam exiſtentem, impenſas ad perpetuam utilitatem rei venditæ factas emptori reſtituere tenetur. *l. 16. ff. de in diem addict.* juncto arg. *l. 4. §. de Commiſſ. act.* Vltimò huc non parum facit, quod communi jure feudali meliorationes pro allodialibus habeantur, ſive feudum Domino, ſive ſucceſſori feudali deferatur, quemadmodum poſt allegatos rectè notat Bachovius noſter *vol. I. ad Treutl. Diſp. 14. th. 19 lit. B.* adeo ut vaſallus, feudo nondum finito, cuicunque voluerit, easdem vendere, *Arg. l. 3. C. de Iur. emphyt.* ædificia à ſe exſtructa abſque deterioratione fundi feudalis tollere, *§. ſi vaſallus. Hic finitur lex.* juncto text. *l. 30. in fin. ff. de pet. her.* permutare, legare, in dotem dare, aut quolibet alio modo liberè alienare queat: *Arg. optimi textus in l. Non uſq; 2. ff. ſi à par. quis man. ſit. l. 27. C. Mandat. & l. pen. ff. de Pact.* Bald. *in §. ſi quis de manſo ſi de inv. feud. contr. fuer.* Ex quibus omnibus ita explicatis manifeſtiſſimum eſſe arbitror, quare in melioramentis feudi quilibet heres, etiam extraneus: Iul. Clar. *in §. Emphyteuſis. q. 45. n. 2.* item tam maſculus, quam fœmina pro hereditaria portione ſuccedat: Petr. Paul. Pariſius *vol. 3. conſil. 28. in pr. & conſ. 55. n. 23.* ſive feudum devolvatur ad Dominum vel Agnatos, vaſallo abſque heredibus maſculis mortuo, ſive etiam ad filios defuncti deſcendat. Iul. Clar. *lib. 4. Rec. ſentent. §. Emphyteuſis. d. quaeſt. 45. n. 2.* & Roſenthal *cap. 7. concl. 47. n. 10.* Nam cum filias unà cum filiis lex ad parentum hereditatem vocet, *l. Maximum vitium. 4. C. de lib. præter.* ſequitur etiam quod tam ipſæ, quam heredes earum de meliorationibus his participent, quamvis feuda præcipiant filij. *§. Hoc autem notandum. 3. de His qui feud. dar. poſſ. & cap. 1. §. Filia verò. de ſucceſſ. feud.* juncta *l. 196. ff. de V. S.* Rol. à Valle *vol. 1. Conſ. 28. n. 28. & 29.* Gothofr. Anton. *Diſp. feud. 6. th. 21 & 7.* Atque hæc quæ diximus non modo in ſucceſſoribus univerſalibus, verum etiam particularibus, Creditoribus puta, obtinent. Intrigliol. *in cent. feud. 1. quaeſt. 59.*

n. 5. &

n. 5. & 7. Ant. Negoſant. tr. de Pig. & hypot. 4. memb. 5. part. pr. n. 23. Harpm. Piſtor. p. 2. q. 42. n. 23. item Vultei. lib. 1. cap. 11. n. 243. Etenim ſi ex ijs quæ ſub initium hujus theſeos aſtruximus, præcipuè vero ex hoc, quod communiter à Feudiſtis repetitio vaſallo conceditur pro ſumptibus & melioramentis in feudo factis, Arg. l. 7. §. 5. ff. ſol. matr. l. 9. ff. de Imp. in res dot. fact. l. 43. §. Marcellus. ff. de leg. I. Ioh. Garſias d. tr. integro cap. 7. Roſenth. cap. 10. concl. 43. n. 112. cum ſeqq. clarius eſt, quam quod negari poſſit, omnia hæc pleno jure ſpectare ad Vaſallum, Dn. Frantzkius in tr. de Laudem. cap. 15. n. 69. ego certè non video qua ratione creditores vaſalli à repetendis ſumptibus meliorationum, feudo ad Dominum aut Agnatos devoluto, arceri debeant. Inprimis cum indubitati juris ſit, quod creditores ad cuncta, quæ propria debitorum ſunt, manum exſerere non prohibeantur, uſque dum ſatis fieri ipſis poſſit: l. A Divo, 15. § 2. ff. de Re iud. l. 6. C. de Bon. aut. iud. poſſ. l. 2. C. de Rev. his quæ in fraud. cred. & l. 4. C. de Ceſſion. bon. ubi Gothofr. in Not. & quod onera ac debita hereditaria præſtanda & ſolvenda ſint ex rebus hereditati ſubjectis. l. 8. §. 2. & 4. C. de Bon. quæ liber. & l. fin. C. de Iur. delib. Fruſtra enim ſunt, qui hic obijcere conantur, ſucceſſorem feudalem ad ſolvendum æs alienum à defuncto Vaſallo contractum regulariter non teneri: quia hoc intelligendum eſt de bonis feudalibus, non etiam melioramentis, quæ inter bona allodialia vaſalli reputantur. Dn Carpzov. in I. S. F. part. 2. conſt. 46. Def. 1. 3. 4. & 5. junctâ omninò part. 3. conſt. 31. Def. 3. & 9. Vt interim taceam caſus, in quibus ex ipſo quoque feudo æs alienum vaſalli defuncti ſucceſſoribus perſolvendum venit, quos omnes eruditè pertractat Ampliſſ. Dn. Ioh. Ott. Tabor in elegantiſſimo tr. de oblig. ſucceſſ. in eff. cap. 5. n. inprimis 22. Cui adde Roſenthal. cap. 7. concl. 22. n. 21. & cap. 10. concl. 43. n. 157. Gail. lib. 2. obſ. 154. & Matth. Berlich. p. 2. concl. pr. 55.

XXVII.

Porro quæ juris eſſe expoſuimus tam in vaſallo, & hæredibus ejus allodialibus, quam in Ampliatio.

ipſis

ipſis creditoribus vaſalli, illa ad omnes in univerſum meliorationes induſtriales extendenda eſſe arbitramur.

Locum enim habebit earum reputatio, ſive internæ ſive externæ fuerint: *§. E contrario. de Inv. de re al. fact. & §. ſi vaſallus. Hic finitur lex.* ſive feudum fuerit hereditarium, ſive ex pacto & providentiâ, quemadmodum FF, loquuntur; ſive fuerit ſeculare, ſive Eccleſiaſticum: *Arg. cap. un. §. Inde poteſt præſumi. de Alienat. feud.* Petr. Paul. Pariſius *Conſil. 28. vol. 3.* ſive ſumptu ſuo & operâ alienâ, ſive ſuo & proprio labore, aut artifitio cliens melioraverit: Roſenthal *d. cap. 10. concl. 43. n. 39. in fin.* ſive corporalia fuerint melioramenta, ſive incorporalia: *d. §. ſi vaſallus. Hic finitur lex.* ſive ſeparari à feudo poſſint, ſive non: Andr. de Iſernia, Alvarot. & Præpoſ. *in §. ſi vaſallus.* ſive factæ fuerint in re conſervandâ, ſive in faciendo de novo: *l. 7. §. Impenſa. ff. ſol. matrim. l. 1. & 14. ff. de Imp. in res dot. fact.* ſive erogatæ ſint in culturam agri, *Gloſſ. ad l. 39.* in verb. *Novelleta. ff. de Pet. her. & l. 36. §. fin. ff. Eod.* ſive ſint deſtinatæ ad cuſtodiam caſtri: Gloſſ. *in l. 1. §. Inter neceſſarias*, in verb. *Prolectus, ff. de Imp. in res dot. fact.* juncto argumento, *l. 18. in fin. & l. 92. § 14. ff. de Inſtr. & inſtrument. legat.* denique ſive melioramenta, quæ à vaſallo in feudum facta ſunt, adhuc extent, ſive incendio, chaſmate, inundatione, terræ motu, aut alio quovis caſu fortuito abſque culpa vaſalli perierint. Namque finito feudo citra delictum vaſalli æſtimatio horum omnium à Domino repeti poterit: *Arg. l. 10. 13. & 22. ff. de Neg. geſt. l. 8. in pr. ff. de pign. act. l. 4. ff. de Imp. in res dot. fact. l. 38. inf. ff. de pet. her. l. 50. ff. de Adm. & per. tut. & l. 3. §. 7. ff. de Contr. & ut. tut. act.* Iacob. Menoch. *de Recup. poſſ. Remed. 15. n. 511. & 512.* poſt plurimos prolixè ibidem allegatos, & Andr. Tiraquell. *de Retract. convent. part. 2. §. 7. Gloſſ. 1. n. 10. in fin.* niſi fortaſſe hæc melioramenta etiam non interveniente incendio, aut alio caſu ætatem non latura, atque per ſe apud vaſallum interitura fuiſſent. *Arg. text. non inelegantis, in l. 14. §. fin. ff. Depoſ.* juncta *l. 58. ff. de Leg. I.* Vnde ulterius infert Schraderus, quod & im-

penſæ

penſæ factæ pro defendendo caſtro vel fortalitio contra hujuſmodi hoſtes, à quibus ſi occupatum fuiſſet caſtrum, vel nunquam, vel non niſi maximâ cum difficultate recuperari potuiſſet, repeti queant; quamvis illud caſtrum, vel fortalitium ab hoſtibus occupatum fuerit. *d. part. 2. part. 9. pr. ſect. 2. n. 21. in fin.* Andr. Barbat. *conſil. 46. vol. 4.* Alexand. Imol. *lib. 2. conſil. 168. n. 8.* Menoch. *de Recup. poſſ. Remed. 11. n. 18.* & Gothofr. Ant. *Diſſ. feud. 12. th. ult. lit. G.*

XXIIX.

Haud prætermittendum tamen hîc eſt, quod opus omninò ſit Vaſallo aut heredi ejus, ut quid, & quantum in feudo melioratum ſit exactè probent, quoquo modo etiam meliorationes reputare velint. Nam aliàs cum facti ſint, non facilè præſumentur. Probatio meliorat. induſtrial.

Arg. l. 10. C. de Non. num. pec. & l. 16. C. de Probat. Probanda regulariter ſunt melioramenta ab eo, qui eas allegat, aut in ijs ſe fundat, juxta *l. Qui accuſare, 4. C. de Edend. & l. 23. C. de Probat.* ſive agat, ſive excipiat, ut cenſuere *DD. in l. 38. ff. de R. V.* Schrader, *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 60.* Neque ſufficit tantum docere impenſum, aut melioratum aliquid eſſe, verum etiam in quo meliorata res ſit, & unde provenerint illa incrementa demonſtradum eſt Vaſallo. Menoch. *de Recuperand. poſſeſſ. Remed. 15. n. 567.* Socinus junior *vol. 1. Conſ. 62. n. 3.* Utrum ſcilicet à poſſeſſore ipſo, an verò ab alio quopiam, cui ipſe vel univerſaliter, vel particulariter ſucceſſit, factæ ſint; à majoribus puta, Agnatis, aut alio quovis prædeceſſore ſive auctore Vaſalli. Ioſeph. Maſcard. *de Probat. vol. 2. concl. 1041. n. 6.* Ant. Neguſant. *de Pign. ac hypoth. membr. 4. part. 5. n. 11.* item Roſenthal. *cap. 10. concl. 43. n. 37. & ſeqq.* Siquidem legibus expreſsè cautum eſt, etiam ſingularem ſucceſſorem propter impenſas ſive meliorationes retentionis iure uti poſſe. *Text. eſt rotundus in l. 14.* in verb: *Sed is qui à me emerit. ff. Comm. divid.* ubi Bartol. Zaſius, & DD. communiter. Andr.

ter. Andr. Tiraquell. *de Retr. convent. §. 7. gloſſ. 1. n. 1.* & Negu-ſant. *d. tr. memb. 4. part. 5. n. ult.* Sed, ſi à tertio quodam gratis & contemplatione vaſalli meliorationes in feudo factæ ſint? Vel ſi ob certam cauſam, ut remunerandi animo ligna, lapides, item opera & ſumptus ad meliorandum neceſſarij Vaſallo donati fuerint? Certè dubitationis hîc nihil video, cur vaſallus qui opus exſtruxit, aut exſtrui curavit, non debeat integros ſumptus reputare, perinde ac ſi eos feciſſet ex bonis proprijs. *Arg. l. 10. inf. & l. 12. in pr. ff. Mandat. l. 10. §. 6. in fin. ff. de Vulg. & pup. ſubſt. l. 9. §. 1. ff. d. SC. Maced.* Matth. de Afflict. *in §. ſi vaſallus. Hic finitur lex. n. 16.* & Schraderus *2. part. 9. pr. ſect. 2. n. 39. & 42.* Eſt enim hæc materia donata ſtatim in patrimonio vaſalli, atque ſic impendiſſe videtur de ſuo. *§. 2. l. de Donat. l. 27. & 34. §. 1. ff. Eod.* item Bachov. *ad Trentl. vol. 2. Diſp. 19. th. 3. lit. E. in fin.* Cæterum quid dicendum erit, ſi tertius aliquis meliorationes in fundo clientelari fecerit eo animo, ut æſtimationem earum à Vaſallo repeteret? *Arg. l. 6. §. 3. ff. de Neg. geſt.* Maſcard. *de Probat. vol 2. Concl. 1041. n. 8.* Aut ſi fortè vaſallus impenſas exſolverit ei, qui bona fide feudi poſſeſſor fuit, atque in id impendit: puta quod vel ab alio, vel etiam ipſo vaſallo bona fide vendente, & feudum eſſe ignorante abſque dolo malo emerit, ac melioraverit id, quod poſtea reſtituendum erat? *Arg. l. Ariſto. 18. §. Labeo. ff. de Donat. & l. 45. ff. de Act. empt.* Alv. Valaſc. *de Iur. emphyt. quæſt. 25. n. 10 in fin.* Reſpondeo, ſi vaſallus caſibus his meliorationes refuderit, aut ad hoc obligatus erit, rectè ipſe aut heres ipſius eas à Domino, aut Agnato ſervare poterit. Per ea, quæ hac de re habet Roſenthal. *d. cap. 10. concl. 43. n. 40.* junct. *cap. 9. memb. 1. concl. 6.* Quod ſi autem manifeſtum ſit meliorationes illas non fuiſſe factas antequam feudum vaſallo concederetur, non tamen liqueat à quonam tales provenerint, tunc puto in dubio eas præſumi factas ab ipſo vaſallo, ejuſque anteceſſoribus, ac Dominum feudi cogi vaſallo etiam nullâ aliâ probatione factâ meliorationes reddere. Arg. optimi text. *in l. fin. C. de Alim. pup. praeſt.* junctâ *l. 104. ff. de V. O.*

Ratio

Ratio eſſe poteſt, quod generaliter in dubio magna ſit præſumptio impenſas feciſſe eum cujus, impenſas fieri, intereſſe rat. Iacob. Menoch. *de Præſumpt, lib. 6. præſ. 11.* & Sebaſt. Vant. *in tr. de Nullitatib. Rubr. de Nullit. ex def. citat. n. 45.* Deinde quod in ſimili traditur, impenſas ſive meliorationes factas in pignore, quod Creditor poſſidet, ab eodem factas eſſe præſumi, quemadmodum notat Ant. Neguſant. *in tr. de Pign. & hypoth 3. memb. part. 7. pr. n. 17.* Confer omninò Schraderum *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 61.* & Herm. Vultej. *l. 1. c. 11. n. 235.*

XXIX.

Deinde neceſſum eſt, ut meliorationes hujuſmodi eſſe probent, quales eas allegant, utiles videlicet & neceſſarias, atq; ad perpetuam rei feudalis utilitatem factas. *Qualeſnam meliorat. induſtrial. probari debeant.*

Etenim cum ex natura ipſius feudi Vaſallus impenſas facere teneatur, *§. E contrario. de Inv. de re al. fact.* Bald. *in l. 1. n. 4.* verſ. *Quinto in expendendo. C. de Iur. emphyt.* & Iaſon. *ibidem, n. 25. ac ſeqq.* certi juris omninò eſt, quod feudo citra culpam finito deducere aut reputare eas à Domino debeat, *Arg. l. 17. §. 5. ff. Commod. & l. 5. C. de O. & A.* ſive utiles, ſive neceſſariæ fuerint. Petr. Paul. Pariſius. *vol. 1. conſil. 33. n. 55.* item Maſcard. *vol. 2. de Prob. concl. 1041. n. 8.* Nec quicquam hoc ipſo proficiet Dominus, quod poſt inveſtituram factam proteſtatus ſit, ſe non ſoluturum meliorationes, ſi quas in rem feudalem fecerit vaſallus, cum jure contractus, quemadmodum diximus, meliorationes faciat, ac propterea hoc ab alterutro contrahentium ſolo mutari nequeat. *Arg. d. l. 5. C. de O. & A.* juncta *l. 3. C. de Reſc. vendit.* Afflict. *in §. E contrario, n. 7. de Inv. de re al. fact.* Et quamvis hic adduci poſſit, non repeti impenſas, quas aliquis contradicente & inhibente Domino fecerit: *l. fin. C. de Neg. geſt.* ubi Bartol. Bald. Salicet. & DD. communiter. Attamen hoc intelligendum eſt, quando actus ſola voluntate prohibentis, aut proteſtantis efficitur illicitus, quod non contingit in hac ſpecie, ubi jure ſuo & pro ratione utilis dominij, quod in re feudali

 habet,

habet, impendit vaſallus. Salicet. *in l. Dominum. 5. C. de R. V. n. 10.* Alv. Valaſc. *d. tr. quæſt. 25. n. 9.* & Schraderus, *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 64.* Cæterum ut & hoc moneam, antequam hinc abeo, quænam impenſa ad perpetuam rei feudalis utilitatem facta eſſe dici debeat, non eadem apud DDres eſt opinio. Nam Alciatus, Tiraquellus, & Berojus à Menochio citati, *de Arb. ind. quæſt. lib. 2. cent. 3. caſ. 258. n. 28.* impenſam decennium duraturam ad perpetuam rei utilitatem factam cenſeri exiſtimant. Baldus *conſ. 167. n. 3. vol. 1.* illas impenſas perpetuam utilitatem reſpicere arbitratur, per quas rei qualitas mutatur, & bonitas augetur. Verum nos putamus, rectius eam impenſam ad perpetuam rei utilitatem factam dici, ex qua etiam ſucceſſor percepturus eſt utilitatis aliquid: ſive quæ feudo finito adhuc eſt duratura. Ità tamen, ut cum doctiſſimo Menochio nonnihil quoque hic judicis arbitrio permittamus. *d. caſ. 258. n. 27.* Quam ſententiam poſt alios probant Schraderus, *n. part. 9. pr. ſ. 2. n. 105.* & Roſenthal. *d. cap. 10. Concl. 43. n. 62.*

XXX.

Quando meliorat. ſervari nequeant?

I. Si ſint Modicæ.

Verum enim verò quemadmodum omnibus his ritè probatis rectè meliorationes repuтare poterit Vaſallus, ita quoque certi caſus ſunt, in quibus earum repetitio ceſſat. Et I. quidem talis eſt, ſi impenſæ fuerint modicæ, vel fructuum quærendorum gratiâ factæ, aut etiam ultra feudi tempus non duraturæ.

Nam cum meminiſſe debeat vaſalli heres, feudum anteceſſori ſuo ex beneficio Domini obveniſſe, & quod hujusmodi impenſa parum, aut nihil omninò rem Domini augeat, æquum eſt eam ſuſtineri à Vaſallo, cujus commodo ceſſit, atque hoc caſu modicum non curari. *Arg. l. 18. §. 2. ff. Commod. l. 7. §. fin. ff. Sol. matrim.* ubi Zaſius *n. 9. l. 12. & 15. ff. de Imp. in res dot. fact. & l. 7. §. Hactenus. ff. de uſufr.* Alvarot. & Præpoſ. *in §. ſi vaſallus. Hic finitur lex.* Menoch. *de Recup. poſſ. Remed. 15. n. [illegible].*

n. 552. Alv. Valaſcus. *queſt. 21. n. 12. & ſqq.* Ludov. Molina, *de Contr. tri 2. Diſput. 463. n. 4.* & Vulteſ. *lib. 1. cap. 11. n. 239.* Quod tamen de ſumptibus ad colligendos fructus factis ita intellige, ſi fructus quorum gratiâ ſumptus hi facti ſunt, jam ſint collecti. Nam ſi collecti à Vaſallo nondum ſint, ſed Domino cedant, ſecundum diſtinctionem *§. His conſequenter. Hic finitur lex.* cum etiam illæ impenſæ rectè repetuntur. *l. Prætor ait. 9. §. 3. ff. de Reb. aut. jud. poſſ. & l. 37. ff. de Hered. petit.* Verum quænam modica, aut magna ſit impenſa, illud hic iterum, quemadmodum antea, judicis arbitrio relinquendum eſſe arbitramur. Gloſſ *in l. 7. §. 2.* in verb. *Pertinentia. ff. de uſufr. & in l. 12.* in verb. *Modicas. ff. de Imp. in res dot. fact.* Menoch. *de Arb. jud. quæſt. lib. 2. cent. 3. Caſ. 215. & caſ. 258. n. 27.*

XXXI.

II. Si fuerint magnæ, & nimium oneroſæ. II. Nimis magnæ.

Ad quod eſt pulcher textus *in l. 25. ff. de Pign. act.* junctâ *l. 8. ff. de Imp. in res. dot. fact.* Cum negotium Domini utiliter gerere non videatur Vaſallus, qui rei feudali ſarcinam adeo importabilem imponit, ut Domino aut Agnato, ſi ſumptus hos ferre cogerentur, feudum eſſet vendendum, vel planè ex anguſtiâ rerum deſerendum. Arg. *l. 10.* in verb. *Non autem utiliter. ff. de Neg. geſt.* juncta *l. 25. ff. de Pign. act.* Bald. *Vol 1. conſil. 116. n. 4.* Tiraquell. *de Retr. convent. §. 7. gloſſ. 1. n. 5.* Itaque ſi impenſæ ſint neceſſariæ, quibus non factis res peritura, aut certè deterior futura fuiſſet, has, etiamſi oneroſæ fuerint Domino, aut Agnato, à vaſallo aut herede ejus reputari omninò æquitas ſuadet. Paul. de Caſtro in *l. Si ſervos. 25. ff. de Pign. act.* Bartol. *in l. In fundo. 38. n. 6 ff. de R. V.* ubi ait in impenſis neceſſarijs diſtinctionem hujus textus locum minimè habere. Sed ſi utiles fuerint, eatenus eas ſervabit vaſallus, quatenus modum non excedunt, amputato hoc ipſo quod excedit, aut oneri Domino vel Agnato eſſe poſſit. Arg. *l. 20. & 29. ff. de uſur.* juncta *l. 10. ff. de Neg. geſt. & l. 40. in pr. ff. de Damn. infect.* Confer Schraderum *2. part. 9 pr. ſ. 2. n. 16. & 91.* Niſi fortaſſis publicæ utilitatis gratiâ hujuſmodi meliorationes factæ ſint, nam tunc quodcunque pro com-

muni omnium commodo vaſallus impenderit, illud communi contributione omnium quoque erit reſarciendum. *Arg. l. 1. & 2. §. 2. ff. Ad L. Rhod. de iact.* Ludov. Molina *de contr. Diſp. 416. n. 2. tr. 2.* Adde ea quæ habet Gail. *lib. 2. obſerv. 22. n. 4.* Differentiæ ratio in hoc eſſe poterit, quod utilium impenſarum quamplurimæ ſint, ob quas res feudalis quidem redditur pretioſior, reditus & fructus autem parum augentur, quarum mole ac multitudine Dominum aut ſucceſſorem obrui minimè par erat: Arg. optimi text. *in. l. 27. ff. de Neg. geſt.* quod ſecus eſt in meliorationibus neceſſariis, quarum beneficio rem feudalem ſalvam & ſartam habent. *l. 1. §. 1. & l. 14. in pr. ff. de Imp. in res dot. fact.*

XXXII.

III. In fraud Domini fact.

III. Si in fraudem Domini factæ ſint impenſæ aut meliorationes, ne ſcilicet rem recipere poſſit.

De impenſis neceſſarijs vix eſt ut hoc dici poſſit, cum malignè nobiſcum agere non videatur, qui rem noſtram nobis conſervat. Roſenthal, *cap. 10. concl. 43. n. 97.* In utilibus autem non immeritò diſtinctio *d. l. in fundo. 38. ff. de R. V.* locum invenit. Nam ſi conſultò meliorationes exceſſivas fecerit vaſallus, quas optimè ſciebat Dominum directum aut Agnatum non fore ſolvendo, (finge enim pauperem, cui ſi reddere eas cogatur, aribus ſepulchriſque avitis exulandum ſit) tunc tollere duntaxat permittetur, quidquid abſque læſione prioris ſtatus tolli poterit: at, ſi ſine detrimento hoc fieri nequeat, impenſas amittet. *d. l. 38. ff. de R. V.* Alberic. de Roſate *in l. 39. §. 1.* ad verb. *Longè longeq; rem meliorem fecit. ff. de Minorib.* Tiraquell. *de Retr. convent. §. 7. gloſſ. 1. n. 7. in fin.* Pinellus *in l. 2. §. 2. cap. 3. n. 5. C. de Reſc. vendit.* Scrader. *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 82.* Periniquum enim eſt ita malitiis indulgere, ut ex hujuſmodi dolo ſuo fructum adhuc percipiat Vaſallus. *l. 134. §. Nemo. ff. de R. I.* iunct. *l. 22. ff. de Neg. geſt.*

XXXIII.

IV. Si voluptuariæ fuerint impenſæ, aut alias inutiles.

IV. Voluptuariæ.

Itaque ſi ſtultè, temerè, aut ad voluptatem impendit vaſallus, ut nulla melioratio compareat, eſt quod ſibi imputet. Arg. *l. 4. ff. Quod vi aut clam.* juncta *l. 24. in fin. ff. Quæ in fraud. credit.* Nam harum nomine ipſi neque actio, neque exceptio dabitur. Argumento eſſe poteſt primò *l. 9. ff. de Imp. in res dot. fact. l. 5. C. de R. V. & l. 38. ff. Eod.* ubi vide Bartol. Tum quoque quod ceſſet hic æquitas, quæ repetitionem alias ſuadere videtur, ne ſcilicet Dominus locupletetur cum jacturâ alterius. Per textum elegantem *in l. 3. §. ſed ſi mutua. 4. ff. de in rem verſ.* Atque hæc vera ſunt, niſi fortasſis hæ impenſæ factæ fuerint vel de expreſsâ voluntate Domini; *d. l. 3. §. 4. & 6. ff. de in rem verſ. l. 8. ff. de imp. in res dot fact.* Ant. Negusant. *in tr. de Pign. & hypoth. 3. membr. 7. part. pr. n. 18.* vel ſi Dominus feudi alioquin ipſe illas impenſas facturus fuiſſet, quod taciti conſenſus inſtar eſt: vel etiam, ſi feudum ſibi apertum diſtracturus ſit, atque ſic ex rebus his majus atque amplius quid conſecuturus. *l. 29. & 38.* in verb. *Finge eam perſonam. ff. de R. V.* juncta *l. 10. ff. de impenſ. in res dot fact.* Nam & tunc immodicas atque immoderatas impenſas omninò ſuſtinere tenetur Dominus. Roſenthal. *d. cap. 10. concl. 43. n. 98. & 100.* Circa quæ non immeritò tamen monet Schraderus, quod mandatum generale impendendi Vaſallo conceſſum, non ſe extendat ad onerofas & immenſas hujusmodi impenſas, niſi de ijs ſpecialiter aliquid cautum ſit, *par. 1. 2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 87. & ſeqq.* Hartm. Piſtor *p. 2. quæſt. 42. n. 26.* Quod ſi verò impenſæ voluptuariæ à feudo ſeparari poſſint abſque læſione prioris ſtatus, dubio omni caret, vaſallo jus tollendi licitum atque permiſſum eſſe. Arg. *d. l. 9. ff. de Imp. in res dot. fact.* Et ſi feudum citra culpam finitum Domino reſtitutum fuerit, voluptuarijs impenſis nondum ſublatis, non dubito vaſallum aut heredem ejus contra Dominum feudi agere poſſe, ut illas impenſas tolli, aut abradi patia-

tur, vel etiam earum æſtimationem perſolvat. Per textum *in §. ſi vaſallus.* *Hic finitur lex.* & ea quæ prolixè tractat Schraderus *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 75.* Confer Andr. Tiraquell. *de retr. convent. §. 7. gloſſ. 1. n. 7.* & quæ diximus ſuprà *in th. 26.*

XXXIV.

V. Si quis gratis eas facturus fuiſſet.

V. Si quis extraneus illas meliorationes nomine & contemplatione Domini directi in feudo ſuis ſumptibus & gratis facturus fuiſſet.

Nam ſi utrumque hoc à Domino probari poſſit, nimirum & quod alius easdem impenſas ſive meliorationes gratis infeudum facturus fuerit, & quod vaſallus id ipſum non ignoraverit, arg. *l. Verius. 21. ff. de probat.* tunc dicendum omninò videtur, vaſallum illas meliorationes finito feudo recuperare non poſſe. Text. eſt in *l. 2. C. de Neg. geſt.* ubi DD. communiter. Sibi enim hoc accepto ferre, non in Domini damnum vertere debet vaſallus, quod temerè adeo ac voluntariè impenſas profuderit. *l. 4. ff. Quod vi aut clam.* & Schraderus *in part. 2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 83.*

XXXV.

VI. Si plus deterioraverit vaſallus.

VI. Si plus deterioraverit, quam melioraverit vaſallus.

Apertisſimi juris eſt, quod quemadmodum uſufructuarius, ita etiam vaſallus feudo ſibi conceſſo ſalvâ ejus ſubſtantiâ uti debeat, *l. 13. §. Fructuarius. & l. 44. ff. de uſufr.* iuncto *§. E contrario. de Inv. de re al. fact.* Ex quo conſequitur illud, ut ſi ante facta melioramenta rem deterioraverit is qui melioramenta prætendit, deterioratio cum meliorationibus omninò compenſari debeat, atque id ſolummodo à Vaſallo repeti, quod detractâ deterioratione ſupereſt. Arg. *l. 2. ff. de Compenſat. & l. ſi negotia, 11. in fin. ff. de Neg. geſt.* iunctâ *l. 30. ff. Pro ſoc. & l. 1. §. 4. ff. de Aq. & aq. pluv. arc.* Ioh. Petr. Surd. *vol. 1. conſil. 34. n. 36. V. G.* Si vaſallus ædificia in feudo poſita deſtruxerit, atque alia in ipſorum locum ſubſtituerit: vel arbores exciderit, & alias ijs ſurrogaverit: vel ſi unum idemque

que feudum pro parte melius, pro parte verò deterius red-diderit, Dominus feudo ſine culpa finito id tantum reſti-tuere tenebitur, quod deducto precio ædificiorum deſtru-ctorum, arborum excisarum, vel alterius commiſſæ dete-riorationis ſupereſt, ut optimè docet Bald. *ad l. 3. C. Locat.* Bartol. *ad l. 11. ff. de Neg. geſt.* Maſcard. *de Probat. vol. 2. Concl. 1041. n. 11.* Roſenthal *cap. 10. concl. 43. n. 86.* Vultej. *lib. 1. cap. 11. n. 227. & 237.*

XXXVI.

VII. Si occaſione factæ meliorationis ex prædio clientelari plus emolumenti obvenerit vaſallo, quam ille ſumptuum in illud impendit. VII. Si plus emolumēti jam percepent vaſall. quam ſumpt. impendit.

Exemplo nobis ſit impenſa in deboſcando facta; ſi nimirum ager, qui antea nemus erat, plenus ſtirpibus, ac radicibus, ita ut nec arari, nec ſeri potuerit, à Vaſallo ſubactus, atque ad culturam redactus ſit. Nam hic ſi ex pretio lignorum exſtirpatorum plus utilitatis forſan perceperit, quam ipſe impendit in redigendo nemus illud ad culturam, compenſatione has impenſas tolli æquitas ſuadet, ad exemplum earum, quæ quærendorum fructuum gratiâ fiunt. Argumento eſt *l. 7. §. fin. ff. ſol. matrim.* Ne ſcilicet eandem rem bis à Domino conſequatur vaſallus, quod eſt contra bonam fidem. *l. 57. ff. de R. Iur.* Adde Schraderum *2. part. 9. ſect. 2. n. 105. in fin.* item Roſenthal. *cap. 10. concl. 43. n. 65.*

XXXVII.

IIX. Si contra legis prohibitionem meliorationes fecerit vaſallus. IIX. Si eas contra leg. prohibit. fecerit.

V. G. Si legibus aut ſtatutis in fundo feudali certus ædificiorum modus ſit præſcriptus, *l. 11. ff. de S. P. V. & l. 1. 3. ac 12. C. de Ædif. privat.* vel etiam ex conſuetudine certa ædificandi forma obtineat, *l. 6. C. de ſervit.* ubi Ant. Perez. *n. 14.* Vaſallus autem contra præſcriptum hoc, aut loci obſervantiam ædificaverit, vix eſt, ut harum impenſarum nomine Dominum ſibi poſſit habere obligatum. *Arg. l. 46. ff. de Fidejuſſ.*

l. 5 C.

l. 5. C. de I.L. l. fin. C. de Rec. arbitr. l. 6. C. de Pact. l. 18. ff. Eod. junctâ *l. 15. ff. de Condit. inſtit.* Quod ſi tamen hæ meliorationes hujusmodi ſunt, quæ abſque deterioratione feudi facilè tolli poſſint; vel etiam ex legis rigore, aut loci conſuetudine deſtrui omninò debeant, æquum eſt, ut jus tollendi, ſive abraſiones vaſallo non denegetur. *Arg. l. 11. §. 14. ff. de Leg. 3.* cum *l. 38. ff. de R. V.*

XXXIIX.

IX. Si pact. inveſt. al. cōvenerit. **IX.** Si pactis inveſtituræ adjectis aliter inter Dominum & vaſallum cautum fuerit.

Etenim quod nautis laborantibus eſt cynoſura; illud in controverſiis ex feudo deſcendentibus eſt inveſtituræ tenor, ac proinde quicquid in ea contentum eſt, hoc omnimodo obſervandum erit. *§. Præterea, 2. Quid ſit inveſtit.* Herm. Vultej. *de Feud. lib. 1. cap. 7. n. 74.* Sive itaque convenerit inter Dominum & vaſallum, quod impenſas & meliorationes repetere aut reputare vaſallus feudo finito non debeat; ſive convenerit, ne impenſas ultra certum modum faciat: vel ut nullas faciat; vel ſaltem ad certam ſummam, omnibus hujusmodi pactis, æquè ac aliis in inveſtiturâ interpoſitis ſtandum erit; & impenſæ contra id, quod conventum erit, factæ nequaquam à Domino repeti poterunt. *l. 1. §. 6. ff. Depoſ. l. 56. ff. de V. O. l. 3. ff. de Pact. & l. 23. ff. de R. I.* ubi Petr. Faber, *n. 132.* Ioh. Garſ. *d. tr. cap. 6. n. 12. & ſeqq.* Neque obſtat nobis *l. 5. §. fin. ff. de Pact. dotal.* Si, quemadmodum pareſt, ex *l. 11. §. 1. ff. de Imp. in res dot. fact.* explicetur, junctâ *l. 1. 2. & 3. ff. de Donat. int. vir. & uxor.* Adde Scip. Gentil. *in tr. cui idem indidit nomen, lib. 4. cap. 7.* Verum ne mirum hoc alicui videri poſſit, ſubjiciemus illuſtriora aliquot exempla pactorum, de quibus ſermo nobis eſt. Paciſcitur ita vaſallus, ne ullum præſtet ſervitium, vel ſi præſtetur, ut hoc fiat Domini ſumptibus. *cap. 1. ut vaſall. ſumpt. Dom. ſerv. præſt.* Roſenthal. *cap. 8. concl. 4. & ſeqq.* Paciſcitur, ut feudum novum naturam veteris induat, atque ita agnatos admittat. Cujac. *4. Feud. 32.* Nicol. Mozz. *de Accid. feud. n. 6.* Paciſcitur in deſcendentium, non maſculorum

ſculorum tantùm, ſed & fœminarum gratiam: *cap. un. §. Hoc autem. 3. de His qui feud. dar: poſſ. cap. un. Epiſc. vel Abb. &c. cap. un. in fin. de ſucceſſ. feud.* Nec tantum legitimè natorum, ſed & legitimatorum, FF. communiter in *cap. un. §. Naturales. Si de feud. def. cont. ſit int. Dom. & Agn.* Imò ut ſe mortuo ad aſcendentes, *cap. un. de ſucceſſ. feud.* ad collaterales, *cap. un. de feud. March.* etiam ad quoſcunque extraneos feudum devolvatur. Eodem modo rectè paciſcitur Dominus, ut loco ſervitiorum annuum quid ſibi præſtetur à vaſallo, ut requiſitus coram Domino teſtudine ludat, aut uxorem Domini feſtis diebus in templum ſive eccleſiam comitetur. *cap. un. §. Præterea, Quid ſit inveſtit.* ubi Andr. de Iſernia, & Alvarot. Adde omninò Herm. Vultei. *lib. 1. cap. 7. n. 78. & cap. 9. n. 166. 177. 206. & 216.* quibus in locis de hujuſmodi pactis in primâ inveſtiturâ adjectis quam pluribus eruditè agit. Illud etiam in caſu noſtro notatu dignum eſt, quod licet maximè in pacto inveſtituræ dicatur, *Vaſallum has aut illas impenſas in feudo facere debere*, propterea tamen non continuô ſequatur eum de ſuo, aut ſine ſpe repetendi impendere teneri: ſed ſi eum exceptione pacti ſubmovere velit Dominus, neceſſum eſt, ut de hoc ipſo aliunde luculentius conſtet. *Arg. l. 39. ff. de Pact.* junctâ *l. 55. §. 1. & l. 61. ff. Locat.* Confer Pinellum ad *l. 2. part. 2. cap. 3. n. 10. C. de Reſc. vendit.* Roſenthal, *d. cap. 10. concl. 43. n. 84.* Neque hoc ſilentio prætermittendum eſt, quod hujuſmodi pactum, ne ultra certum aut deſignatum modum, vel ut planè nullas faciat impenſas vaſallus, ad caſus & detrimenta inſolita extendendum non ſit; ſi nimirum his evenientibus neceſſariò ſumptus aut impenſas majores rei feudalis bono vaſallus facere cogatur. *Arg. l. Quæ fortuitis. 6. C. de Pigner. act.* Gothofr. Anton. *Diſp. feud. 12. th. ult. lit. G.*

XXXIX.

X. Si conſuetudo aut ſtatutum exſtent in contrarium, quæ meliorationes feudales eſſe, & unâ cum ipſo feudo ad Dominum tranſire diſponant. — X. Si conſuet. aut ſtatut. exſtet in contrarium.

G Nam

Nam cum ſtatuta ac conſuetudines in iis locis, ubi vigent, juris communis autoritatem tueantur, Bartol. *in l. Omnes populi, n. 60. ff. de I. & I.* eandem quoque cauſam & effectum alias cum legibus civilibus habeant, ac juri communi derogent, mirum nemini videri poterit, quod & per ea in caſu noſtro juris feudalis diſpoſitio tollatur, atque annulletur. *Arg. l. 32. & 35. ff. de LL. & l. 9. ff. de I. & I.* Adde omninò Gail. *lib. 1. obſ. 36.* Dn. Bened. Carpzov. *in I. F. S. conſt. 14. def. 13. & p. 3. conſt. 23. def. 2.* Dn. David. Mevium *in Comm. ad Jus Lub. quæſt. præl. 2. n. 51. & ſeqq.* item Ampliſſ. Dn. D. Hahn *in tr. de Iur. rerum, Concl. 71. cum plurimis ſeqq.* Perſpicuum nobis hujus rei exemplum exhibet jus Saxonicum, quo deciſum eſt, ut ædificia in fundo feudali ædificata cenſeantur feudalia, & vel Domino, vel hæredi feudali cedant abſque ulla impenſarum refuſione. Landrecht. *Art. 21. lib. 2.* cujus hæc verba ſunt. Wird auch ein gut frey ledig einem Herren / er nimbt daß gebäw mit dem lehn / & poſt pauca, hat auch ein man einen Sohn / der ſein lehnerb iſt nach lehnrecht / er behelt ſeines Vaters gebäw auff ſeinem lehen / mit mehren rechten / dan der ſein Landerbe iſt nach Landrecht. Zobel. *p. 3. diff. 29.* Fachſ. *diff. 36.* Reinhard. *p. 3. diff. 23. & Conſt. Elect. Auguſt 31. p. 3.* In dieſem fall iſt auch nach gemeinen beſchriebenen gebreuchen / vnd lehenrechten verſehen / weñ ein lehenman / ſo das lehengut erbawet / vnd gebeſſert hat verſturbe / ſo mus der lehenherr geſchehen laſſen / daß des verſtorbene erben ſolche gebeude / vnd geſchehene beſſerung wieder abtragen / vnd zu ſich nehmen / oder aber ſich derowägen mit den Erben gebürlich abfinden / vnd vergleichen. Dieweil aber dagegen die Sächſiſchen lehenrechte klar mit verordenen / daß die Gebäwde / ſo auff den lehengrunt geſetzt / dem Lehenherren / oder dem lehenfolger auff dieſen fall / ohne einige erſtattung mit dem lehengrunt bleiben / vnd zukoñen ſollen / vnd wir vns dieſe meinung alſo gefallen laſſen / ſo ſollen auch vnſere Hoffgerichte / Juriſten facultäten / vnd Schöppenſtüle nachdem Landüblichen Sächſiſchen rechten in ſolchen fällen erkennen / vnd ſprechen. Si itaque hoc jure ædificia cenſentur feudalia, ut ſequantur heredem feudalem, etiam feudalia porrò cenſeri debent, ut aperto feudo Domino deferantur. Quod

d. Art. 21. diſertis verbis docet, wird es frey ledig ſeinem Herren/ er nimbt daß gebäw ſambt dem lehen. *Et verſ. fen.* idem de filio ſuccedente diſponit, hat auch ein mann einen Sohn/ pro ut etiam utrumque caſum complectitur ante recitata Elect. Auguſti conſtitutio, in verb. Dem Lehenherren oder dem Lehenßfolger. Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. diſp. 14. th. fin. lit. B.* De reliquis meliorationibus autem cum nihil Iure Saxonico diſpoſitum reperiatur, meritò dicimus in iiſdem jus commune in foro etiam Saxonico obſervandum eſſe. Per ea, quæ tradunt Hartm. Piſt. *p. 2. q. 42. n. 36. & ſeqq.* Dn. Carpzov. *in I. F. S. p. 3. conſt. 31. def. 1. 2. & 3.*

XL.

Denique meliorationum repetitio ceſſat, ſi Dominus pretium meliorationum Vaſallo ſolvere elegerit. XL. Si pret. melior. Dominus ſolvere elegerit.

Quoniam plerumque cum ingenti detrimento Dominis directis accidit, ut idipſum, quo res feudalis eſt meliorata, ab heredibus vaſalli auferatur; publicè etiam interſit, ne id fiat, ſed melioratio in re ipſa, hoc eſt feudo, maneat, *l. 1. in pr. ff. de Tig. junct. & l. f. ff. Ne quid in loc. publ.* Vaſallus autem pro libera diſpoſitione, quam in rebus ſuis habet, ad hoc urgeri poſſe haud videatur: *l. Non uſque, 2. ff. Si à par. quis man. ſit.* prudenti conſilio introductum eſt, ut quemadmodum meliorationes ad vaſalli heredes pertinent, ita vicissim Dominus habeat optionem, utrum ſcilicet pretium meliorationis factæ ſolvere, an pati velit, ut ipſæ à fundo clientelari auferantur. Text. eſt luculentus *in §. Si vaſallus. Hic finitur. lex.* ubi Andr. de Iſern. Iacob. de Bellov. Bald. Alvarot. Baro Scenck. & FF. communiter. *l. Plerumque, 10. §. fin. ff. de Iur. dot. l. 27. §. in rem petitam. & l. 38. ff. de R. V. cap. In alternativis. de R. I. in 6.* Neque caret res ratione ineleganti, cum quod generaliter ex juſtâ & legitima cauſa rectè Domino interdici poſsit rei ſuæ alienatio, *l. fin. C. de Pact. int. empt. & vend. comp. & l. 114. §. Divi. ff. de Leg. I.* VVeſenb. *in tit. ff. de Diſtract. pign. n. 5.* tum in ſpecie, quod abſque hoc optandi

 benefi-

beneficio Dominus ſi eſſet, vaſallo liceret, quid & quodcunque vellet, Domino ac rei feudali pro libitu imponere. Vide ulterius Iul. Clar. *lib.4. Rec. ſent. §. feudum, q.88. n.1.* Hartm. Piſt. *p. 2. q. 42. n. 4.* Schrad. *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 92. & ſeqq.* Roſenthal. *cap. 10. concl. 43. n. 144.* Vultei. *lib. 1. cap. 11. n. 233.* & Dn. Carpzov. *in l. F. S. p. 3. conſt. 31. def. 1. n. 3.* Sanè ne vaſallo aut heredibus ejus hæc electio Domini damnoſa ſit, aut ſub ſpecie juris fraus committatur, placuit Interpretibus hanc liberam Domini optandi poteſtatem nonnihil circumſcribere, & text. *in d. §. Si vaſallus* in certis quibuſdam caſibus limitare. Et primo quidem Feudiſtæ exiſtimant præcisè ad ſolvendam pretii æſtimationem Dominum Vaſallo teneri, ſi meliorationes fuerint neceſſariæ, vel etiam tales, quas diligens & ſolers paterfamilias neutiquam facere ſuperſediſſet. Qui enim hic tam inſulſus & ineptus, imò iniquus aut malitioſus ſit qui judicare auſit, quod vaſalli heredibus impenſæ iſtæ non veniant refundendæ, ſed Dominus aut Agnatus liberari queat dicendo, tollas ædificium, tollas molendinum, tollas illa omnia, quæ feciſti in refectionem ædium? Nam quemadmodum malitiis tollentis non eſt indulgendum, *l. In fundo. 38. ff. de R.V.* ſic & Domini eligere volentis iniquitas legibus adjuvanda non eſt: quo relatorum eadem ſervetur natura, & æquitas inviolata cuſtodiatur. Salicet. *in l. Domum. 5. C. de R.V.* Roſenth. *cap. 10. conl. 43. n. 154.* Secundò non datur Domino electio, ſi de voluntate & mandato ipſius meliorationes à Vaſallo factæ ſint, *l. 3. §. 4. ff. de In rem vers. l. 10. §. 9. & l. 15. ff. Mand.* vel ſi ipſe aliàs idem opus exſtructurus fuiſſet, *d. l. 38. ff. de R.V. l. 8. & 11. ff. Imp. in res dot. fact.* Gloſſ. *in l. 27. §. In rem petitam*, ad verb. *ædificium, ff. de R.V.* Paul. de Caſtro, *Vol. 2. conſ. 270. n. 4.* aut ſi ratum habuerit id quod factum eſt, quia hujuſmodi ratihabitio mandato æquipollet. *l. 12. §. fin. ff. de ſolut. l. 12. C. Mand. & l. 16. §. 1. ff. de Pignorib. & hypoth.* Tertiò hoc non procedit, ſi meliorationes factæ ſint tales, quæ commodè auferri nequeant, &, ſi maximè auferantur, vaſallo aut heredibus ejus nulli uſui eſſe poſsint. Quæ ſententia optimè probatur per

text.

text. *in d. §. E contrario, de Inv. de re al. ſact.* juncto *§. Si vaſallus. Hic finitur lex.* ex quibus textibus clarum eſt ſervitutes, cum per ſe & à feudo abſtractæ inutiles ſint, *l. 1. §. 1. ff. Comm. præd.* feudo cedere, & tamen earum pretium Vaſallo reſtituendum eſſe, ſecundum diſpoſitionem *d. §. Si vaſallus.* ubi videri poterunt Alvarot. Baro Scenck, & FF. longo ordine. Lud. Molina, *de Contr. tr. 2. Diſp. 462. n. 2.* Ioh. Gars. *de Exp. & mel. cap. 12. n. fin.* Iunge text. *l. 43. §. Marcellus.* in verb. *poſſe eum hæc detrahere, quæ uſui ejus futura ſunt. ff. de Leg. I.* item ea quæ habet Hartm. Piſt. *p. 2. q. 42. n. 9.* Cæterum dum hæc dico, loquor de meliorationibus, ſive impenſis utilibus ac neceſſariis tantùm, quales ſunt ſervitutes per vaſallum acquiſitæ, item arbores fructiferæ plantatæ, vineæ, aggeres, foſſæ, piſcinæ, & ſimilia: Saxa ex agris remota, inundationes averſæ, redactiones nemorum ad culturam, &c. Nam in voluptuariis aliud obtinet, *Arg. l. 9. ff. de Imp. in res dot. fact. l. 39. in fin. ff. de her. pet. & l. 10. §. 10. ff. Mand.* Quartò ceſſat optio, ſi Dominus rem melioratam ſibi retinere nolit, ſed eandem brevi ſit venditurus. *l. 29. & 38. ff. de R. V. l. 10. ff. de Imp. in res dot. fact.* Hoc enim caſu cum deficiat ratio, quam ſub initium th. jus optandi ſuadere diximus, & Dominus feudum vendens juſtam æſtimationem pro meliorationibus in eo factis ab emptore recipere poſsit, æquius omnino eſt, ut & vaſalli heredibus pretium earum perſolvat, quam ut eos ædificia deſtruere, ac rudera nihil deinde valitura auferre jubeat. Barſat. *Conſil. 85. n. 33. Vol. 1.* Menoch. *de Rec. poſſ. Remed. 15. n. 533.* Denique idem juris eſt, ſi meliorationes ſint hujuſmodi, quas deſtrui publica diſſuadeat utilitas, puta quod deformitas civitatis, aut aliud mali aliquid abraſionem ſit ſubſecuturum. *l. 2. C. de Ædif. priv. l. 2. & fin. ff. Ne quid in loc. publ.* Nam ad illas ſolvendas Dominũ feudi præcisè vaſallo obligatum eſſe arbitror. *arg. l. 14. §. Idem Labeo 13. ff. de Relig. & ſumpt. fun.* Plures adhuc caſus ſunt, in quibus electionem, ſive optandi jus Domino denegant Interpretes, de quibus ſi qui amplius quid cognoſcere deſiderant, hi præ aliis adire poterunt Feudiſtarum facilè principes Schra-

derum 2. *part. 9. pr. ſ. 2. n. 93. & ſeqq.* Roſenth. *cap. 10. concl. 43. n. 151. & ſeqq.* Etenim cum omnes caſus, qui ex varietate circumſtantiarum emergunt, certâ juris regulâ includi nequeant, ſed ad æquitatis normam revocandi ſint, arbitramur omninò hæc omnia boni ac prudentis judicis arbitrio eſſe committenda, qui negotium ita temperabit, ne neutrius malitiæ indulgeat, atque hoc operam dabit, ne quâ nimia in alterutro vertatur captio. *l. 25. ff. de Pign. act. & l. 38. ff. de R. V.* Præſertim cum & ipſa æquitas ex circumſtantiis & variis negotiorum qualitatibus mutetur ſæpius; tum quoque hæc res in jure feudali non per omnia ſit deciſa, adeo ut definitio ejus multoties ex jure communi ſit petenda. *cap. un. de feud. cognit.* Quemadmodum graviter monet Hart. Piſt. *p. 2. q. 42. n. 10.* Adde Menoch. *2. de Arbit. ind. quæſt. Caſ. 255.* & Matth. Stephani in erudito *tr. de offic. iudic. lib. 2. cap. 1. à n. 10. uſque ad fin.* Advertendum tamen hic eſt, quod non permittatur Domino, ut quarundam impenſarum æſtimationem ſolvat, quaſdam verò tolli jubeat, ſi nimirum meliorationes ſint in connexo, puta domo, agro, aut ædificio. V. G. Vaſallus domum utilem, aut neceſſariam exſtruxit in fundo feudali, juxta ædes verò hortum ad amoenitatem plantavit ſumptu magno, quem artificioſis ſcaturiginibus ornavit: hic non audietur Dominus Vaſallo inquiens, ædium æſtimationem tibi perſolvam, reliqua tolle. Nam aut omnium ſolutionem in ſe ſuſcipiat, aut omnia à Vaſallo conjunctim ut auferri patiatur, neceſſe eſt. *Arg. l. 16. ff. de Adm. tut. l. 7. ff. de bon. libert. & l. 10. C. de Judic.* Tiraquell. *de Retr. conv. §. 7. Gloſſ. 2. ad fin. tit. n. 4. & 5.* Schrad. *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 98.* Electionem etiam ſemel factam, & ab herede Vaſalli acceptatam Dominus poſtea mutare atq; ad alterâ viam ipſo invito redire nequit. *Fac. l. 20. ff. de liber. leg. l. 4. §. 2. ff. de Leg. commiſſ. l. 55. ff. de Re iud. l. 8. ff. de Collat. l. 9. §. 1. ff. de Aq. & aq. pluv. arc. l. 3. C. de Reſc. vend. l. 75. ff. de R. I. & cap. Quod ſemel placuit. tit. Eod. in 6.* Roland. à Valle *Vol. 1. Conſ. 28. n. 30.* Roſenthal. *cap. 10. concl. 43. n. 163.*

XLII. Cæte-

Cæterum ſi pretium meliorationum Dominus Vaſallo ſolvere elegerit, illud conſiderandum omninò erit, quo modo fieri debeat meliorationum æſtimatio. Quod licet non ſatis dilucidè jus feudale decidat, nos tamen illam ſententiam veriorem eſſe arbitramur, quæ æſtimationem fieri jubet non ſecundum tempus factarum meliorationum, ſed ſecundum tempus quo ſunt reſtituendæ. Quodnam tempus circa æſtimat. melior. ſit inſpiciendum?

Exiſtimant DDorum nonnulli deciſionem hujus rei eſſe petendam ex *l. 38. ff. de R. V.* ita, ut ſi plus melioratum ſit, quam impenſum eſt, ſolæ impenſæ; quod ſi verò plus impenſum ſit, quam melioratum eſt, valor meliorationum tantùm debeatur vaſallo. Quod ſequitur Andr. Fachinæus, *lib. 7. contr. jur. cap. 93.* Tiraquellus, *de Retr. conv. §. 7. Gloſſ. 1. n. 8.* item Schraderus, *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 100.* ducti præcipue argumento *l. 39. §. 1. ff. de Minor. & cap. Requiſit, 1. X. de in integr. reſtit.* qui textus ſimpliciter dicunt ſumptus & impenſas reddendas eſſe, non etiam id quod præter ſumptus, fundo acceſſit. Alij ad arbitrium prudentis ac boni judicis confugiunt. Vide Gothofr. Anton. *Diſp. feud. 12. in th. ult. circa fin.* Tertij denique, cum quibus nos facimus, in æſtimatione ineunda non ſpectandum eſſe exiſtimant, quantum ſit impenſum, ſed quantum re vera tempore reſtitutionis res meliorata eſſe compareat, ſive decreverint, ſive accreverint meliorationes. Itaque ſi Vaſallus in rem feudalem impenderit 100. melioratio autem pluris non ſit quam 50. tunc ſolùm 50. repetere aut deducere vaſallus, ſive heres ejus poterit. Quod ſi verò Vaſallus impenderit 100, & fortè meliorationes quæ propter bellum, aut aliam rationem tunc majoris non erant, nunc tempore feudi finiti 150. valeant,

tempus hoc poſterius inſpiciemus, adeo ut Dominus vel Agnatus Vaſallo aut heredi ejus totum id, in quo melius factum eſt feudum, refundere teneatur. Ratio eſt, 1. quia in valore illo, quem tempore reſtitutionis obtinent, meliora-menta ad Dominum tranſeunt. 2. Quod juſta rerum pretia ex tempore præſenti, non ex præterito æſtimanda ſint. *l. 3. §. Divi. ff. de Iur. fiſc. l. 4. §. Hac autem actio. 11. ff. de vi bon. rapt. l. 137. §. cum quis, 6. in fin. ff. de V. O. & l. fin. C. de Patr. qui fil. diſtrax.* 3. Vt utrinque ſervetur æqualitas, & ejus ſit emolumentum, cujus eſt ſentire detrimentum. *l. 29. §. fin. & l. 55. ff. Pro ſocio. l. 50. ff. de R. I. l. 2. §. 9. ff. de her. vel act. vend.* 4. & Vltimò, quia idem obtinere videmus in rebus ſubjectis fidei-commiſſo, ut & alijs caſibus, ubi hi, qui impendunt, rei dominium, quamvis revocabile habent. *l. Domus. 58. ff. de Leg. I.* ad quam ita ſcribunt Bartol. Bald. Iaſon & DD. communiter. Gloſſ. *in l. 19. §. fin. ff. Ad SC. Trebell.* Andr. Gail. *lib. 2. obſ. 121. n. 12.* Vt ſic *d. l. 38. ff. de R. V.* parum hic nobis obſtare poſſit, quippe quæ de ſimplici poſſeſſore, non de alio loquitur. Adde, ſi placet, pro hac ſententia pugnantes Roland. à Valle, *vol. 1. conſil. 28, n. 14.* Ioſeph. Ludovici, *Deciſ. 24. n. 25.* Ant. Neguſant. *de Pign. & hypoth. 4. membr. 5. part. n. 16.* Iacob. Menoch. *de Rec. poſſ. Remed. 15. n. 557.* Seb. Medices, *in tr. de Compens. p. 2, quæſt. 16, n. 12.* Alv. Valaſc. *de Iur. emphyt. q. 25. n. 28.* Carol. Molinæ. *in Conſ. Paris. t. 1. §. 1. Gloſſ. 5. n. 113.* Ioh. Gars. *d. tr. cap. ult. n. 3.* Didac. Covarruv. *lib. 1. var. reſol. cap. 8. n. 1. & 2.* Ioſeph. Maſcard. *de Prob. vol. 2. concl. 1041. n. 19.* & noviſsimè Mareſcot. *2. var. reſol. 114. n. 10.*

XLIII.

Quo modo fieri debeat æſtimatio.

In ædificatis pluſculum res difficultatis habet, an SC. prædicta æſtimatio fieri debeat juxta valorē ædificij conſiſtentis, an verò æſtimanda ſint rudera & materies, quæ ex diruto ædificio vendere potuiſſet vaſallus? Prius mihi veritati & æquitati magis conſentire videtur,

Textus

Textus eſt *in §. Si vaſallus. Hic finitur lex.* ubi diſertè dicitur, Dominus aut patiatur ædificium auferri, aut ſolvat pretium meliorationis, non ruderum. Rittershuſ. *in Part. feud. lib. 2. cap. 6. n. 39. & ſeqq.* Deinde cum non exiguus Domini favor vertatur in eo, quod melioramenta optare, vel pro libitu vaſallo ea tollenda relinquere poſſit, certè viciſſim hic favor heredis vaſalli ſit neceſſum eſt, ut melioramenta à Domino electa æſtimentur, pro ut in ædificatis ſtant, non ut in ruderibus exiſtunt. Rudera enim quæ appellant, ſive ablata, plerumque inutilia ſunt, ideoque ſecus ſi fieret, non reciperet heres, quod recipere debebat, ut hinc facilè contingere poſſet vaſallos à feudorum meliorationibus absterreri, quo minus illa ſarta & tecta conſervent: contrà Dominos verò cum alienâ iacturâ locupletari, dum hac ratione adacti heredes vaſalli cogerentur ipſis meliorationes ſuas pretio vilisſimo vendere, aut dimittere. *l. 6. in f. ff. de Iur. dot.* V. G. Si vaſallus in fundo feudali ædificium excitaſſet, quod ſubſiſtens in ſtatu ſuo mille florenis æſtimaretur, materia verò diſſoluta, lapides, ligna, cæmenta &c. ædificio ſublato per heredem vaſalli ducentis tantum vendi poſſet, Dominus volens pretium meliorationis ſolvere offerendo ducentos florenos liberaretur, quod eſſet iniquisſimum. Vide Carol. Molinæ. *in Conſuet. Paris. t. 1. §. 1. Gloſſ. 5. n. 98. & inprimis n. 114.* Tertiò illa quoque ratio hic ſtringit, quam in th. ſuperiori jam tetigimus, quòd ſcilicet quo ad repetitionem impenſarum, aliquantò lautior & melior conditio eſſe debeat vaſalli, mariti, emphyteutæ, poſſeſſoris majoratuum, & aliorum, qui utili dominio gaudent in re reſtitutioni ſubjecta, vel aliàs cauſam à Domino habent, quam eorum, quibus ex his nihil competit. Arg. *§. Ex diverſo. 31. I. de R. D. & l. 65. cum l. 48. ff. de R. V.* Quod prolixius deducunt Schraderus *2, part. 9. pr. ſ. 2. n. 94.* item Roſenth. *cap. 10. concl. 43. n. 150. & ſeqq.* Conferatur Borgn. Cavalc. *in Decis. Fivizan.*

lib. 4. in §. feudum. q. 88. n. 2. Hartm. Piſtor, *p. 2. q. 42. n. 15.* Vultej. *lib. 1. cap. 11. n. 241.* Cæterum quâ viâ incedendum erit, ſi valor, aut æſtimatio ædificij vel meliorationum commodè haberi non poſſit; puta quod vitio Domino verti nequeat, ſi tabulis impendentis vaſalli fidem ſtatim adhibere nolit? Probari poterunt vel per teſtes hujus rei peritos, intellige architectos celebres, quibus credi in ſua arte conſuevit: Arg. *Nov. 7. cap. 3. §. Scire autem, 2. l. 3. C. fin. regund. l. 11. ff. de Stat. hom. & l. 3. §. fin. ff. de ſuis & leg. her.* ubi prolixè Gothofr. *in Not.* vel per ocularem inſpectionem Iudicis, juxta *l. ſi irruptione, 8. ff. fin. regund.* vel etiam æſtimationem eorum, qui ad hoc ſingulariter fuerint electi. Arg: *l. Hac edictali, 6. §. His illud adjungimus. C. de Sec. nupt. l. 44. ff. de Recept. qui arbitr.* Plura & meliora de his videri poterunt apud Ioſeph. Maſcard. *de Probat. vol. 2. concl. 1041. n. 13. & ſeqq.* Ioh. Gars. *d. tr. integro cap. ult.* & Roſenth. *cap. 10. concl. 43. n. 170. & ſeqq.*

XLIV.

Quib. remed. Vaſallus melioraт. conſequatur.

Omnibus his ita expoſitis tempus monet, ut ultimum diſputationis noſtræ caput aggrediamur, quod eſt de Remediis, quæ prodita ſunt vaſallo, aut heredibus ejus ad conſequendas impenſas, ſive meliorationes in feudo factas. Vbi primò omnium ſeſe nobis offert ſaluberrimum Retentionis remedium, ſi heres vaſalli in poſſeſſione rei feudalis ſit.

1. Retentione.

Retinere namque vaſallus, aut heres ejus in hac impenſarum reputatione rem feudalem tamdiu poterit, quoad de impenſis ac meliorationibus ipſi ſatisfiat, ad extremum usq; nummum. *Arg. l. 33 ff. de Cond. indeb. l. 14. ff. de Except. dol. mal. l. 8. in pr. ff. de Pign. act. l. 15. §. 2. & l. 59. ff. de Furt. l. 5. in pr. ff. de Imp. in res dot. fact. §. Ex diverſo. 31. I. de R. D. l. fin. §. ult. ff. de fund. dotal. l. 13.*

§. Præter-

§. *Prætereà.* 22. *ff. de Act. empt. vend. l.* 4. *C. de uſur. l.* 18. *C. de R. V.* Nam cuicunque damus actionem, quemadmodum in th. ſequenti demonſtrabimus, eidem multò magis exceptionem concedemus. *l.* 1. §. 4. *ff. de Superf.* Idque in impenſis ac meliorationibus liquidis, ut & ijs quæ in continenti liquidari poſſunt extra omnem controverſiam eſt: Arg. *l.* 82. *in fin. ff. de Cond. & dem. & l. fin. C. de Compens.* Tiraquell. *de Retr. conv.* §. 7. *Gloſſ.* 1. *n.* 13. Roſenth. *cap.* 10. *concl.* 43. *n.* 116. *cum ſeqq.* Ant. Perez *in expoſ. Cod. de Compenſat. n.* 5. pro illiquidis verò hoc retinendi jus haud aliter ſibi vindicabit vaſalli heres, quam ſi Dominus aut Agnatus ſatisdationem ei præſtare recuſaverit de iis refundendis, ubi liquidatæ fuerint. Menoch. *de Rec. poſſ. Remed.* 15. *n.* 569. item Schraderus, poſt multos allegatos, 2. *part.* 9. *pr. ſ.* 2. *n.* 31. *& ſeqq.* ubi addit à Scabinis Lipſienſibus in causâ ſatis gravi hunc in modum fuiſſe pronuntiatum. Et certè non immeritò: nam ſi idoneam cautionem offerre parati ſint, hoc ipſo ſatis proſpectum erit vaſallo, ac heredi ejus, ideoque à retentionis jure cedere cogentur. *l.* 5. *ff. de Statu lib.* junctâ *l.* 1 §. *iubet autem.* 9. *ff. de Collat.* Hartm. Piſtor. *p.* 2. *quæſt.* 42. *n.* 32. *&* 33. Gozadin. *Conſil.* 100. *n.* 21. Andr. Fachinæus 7. *Controv. iur. cap.* 91. & Vultej. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 245. Neque eſt cur compenſationem hic vereatur Vaſallus, aut heres ejus, ut nimirum ad exemplum bonæ fidei poſſeſſoris melioramenta cum fructibus ex feudo perceptis compenſare teneatur. *l.* 48. *&* 65. *in pr. ff. de R. V.* Nam longè alia ratio eſt bonæ fidei poſſeſſoris, qui reſpectu ſolius poſſesſionis, & bonæ fidei, quam habet, fructus ſuos facit: §. *ſi quis à non Domino.* 36. *I. de R. D. & l.* 48. §. 1. *l.* 23. §. 1. *& l.* 40. *ff. de A. R. D.* alia autem vaſalli, qui quemadmodum maritus, propter feudi ſervitia atque onera fructus lucratur, arg. *l.* 56. §. 1. *ff. de Iur. dot. l.* 20. *C. Eod. & l.* 21. §. 1. *ff. de Don. int. vir. & uxor.* atque hinc perceptos cum meliorationibus in feudo factis non compenſat; Bald. *in l. Emptor,* 65. *ff. de R. V.*

etiamſi ex ipſis fructibus factæ ſint. Intrigl. *de Feud. quæſt. 59. n. 17.* Pariſius *vol. 3. conſ. 55. n. 23.* Ludov. Molina. *de Contr. tr. 2. Diſp. 463. n. 12. & ſeqq.* item Schraderus *d. ſ. 2. n. 37.* Illud etiam cum paucis commune habet, quod ſententiâ ſimpliciter de reſtituendo feudo latâ, poſt rem judicatam, ipſo executionis tempore, rectè adhuc opponi poſſit hæc retentionis exceptio. Arg. *l. 2. C. de Compenſat. & l. 16. §. 1. ff. Eod.* Adde Speculat. *lib. 2. p. 1. de Excep. & repl. §. Dicto. 3. n. 25. & p. 3. de Execut. ſent. §. Poſtremò, n. 9.* Rol. à Valle *vol. 1. conſil. 28. n. 3. & 4.* & Hoſtienſis *in ſum. aur. lib. 2. de Except. § Quando & qualiter. 3.* in verb. *Idem forte.* & iis quæ præcedunt. Rationem hujus rei optimè reddit Zangerus, quod Exceptio retentionis promoveat magis, quam impediat rem judicatam: quippe quæ ad actionem minuendam, & moderandam condemnationem tendat. *in tr. de Except. p. 2. cap. 26. n. 96. & 111.*

XLV.

II. Condictione ex moribus.

Alterum Remedium eſt Condictio incerti, ſive ex moribus, qua feudo jam reſtituto, impenſas ac meliorationes nondum reſarcitas vaſallus, aut heredes ejus reputant, atque condicunt.

Arg. l. 8. ff. de Pign. act. l. 31. ff. Fam. erc. l. 40. §. 1. ff. de Condict. indeb. l. 18. §. 2. ff. Commod. l. 60. ff. de Leg. I. l. 55. ff. Locat. l. 7. in ſ. ff. ſol. matr. & l. 4. §. 3. ff. Com. divid. Nam cum haud ignarus ſit vaſallus, ſe in rem quidem utili ſuo dominio ſubjectam, ſed aliquando reſtituendam impenſas facere, dicendus omninò videtur jure contractus feudalis impendiſſe, ac meliorando ſibi obligare voluiſſe eum, ad quem res erat reverſura. Ratio eſt, quod nemo adeo ſtultus eſſe præſumatur, ut facilè pecunias ſuas jactare, ac indebitas effundere velit. *l. 25. ff. de Probat.* Itaque ſi feudum unà cum meliorationibus, abſque impenſarum deductione, reſtituerit vaſallus, illa omnia tanquam indebitè ſoluta condicere non prohibebitur: ſive adverſus Dominum, ſive contra Agnatum

tum experiatur. Vide Matth. de Afflict. in ſæpe dicto §. *ſi vaſallus. n. 10.* Andr. Tiraquell. *de Retr. conv. §. 7. Gloſſ. 1. n. 7.* Petr. Gregor. *in Syntag. iur. univ. lib. 6. cap. 22. n. 10.* Hart. Piſtor. *p. 2. q. 42. n. 35.* Roſenth. *d. cap. 10. concl. 43. n. 110. & ſeqq.* Ioh. Gars. *d. tr. cap. 7. & cap. 12. n. 85.* Bachov. *ad Treutl. vol. 1. diſput. 14. th. 19. lit. B.* & Dn. Ben. Carpzov. *in I. F. S. p. 3. conſt. 31. Def. 1. & 3.* quibus cum conjunge exegeſin *th. 26.* Concedi quoque vaſallo poterit mandati actio, ſi de expreſſa voluntate Domini impenſas fecerit, *l. 3. §. 4. & 6. ff. de in rem. verſ. l. 10. §. 9. ac 10. ff. Mand.* item Negotiorum geſtorum, quatenus negotium Domini utiliter geſſiſſe videtur. *l. 6. §. 3. ff. de Neg. geſt.* Fr. Hotoman. *in §. ſi vaſallus. Hic finitur lex.* & Dn. Frantzkius *Exercit. iur. 4. q. 5. in pr.* Alia remedia.

XLVI.

Sunt & qui tertium Remedium pro conſequendis meliorationibus vaſallo ejuſque heredibus attribuunt, jus videlicet Tacitæ Hypothecæ in rebus feudalibus. III. Iure tac. hypothecæ.

Sit ne feudum vaſallo tacitè obligatum ob meliorationes in eo factas, non exigua inter DDres diſputatio eſt. Affirmat id ipſum Ripa *ad l. Ubi pure. 19. §. fin. n. 2. ampliat. 2. ff. Ad SC. Trebell.* item Gloſſ. *in l. 56. §. quod dicitur.* verb. *Retineatur. ff. de Iur. dot.* Contrarium ſentit Fachinæus *l. 7. controv. iur. c. 92.* Ludolf. Schraderus autem *2. part. 9. pr. ſ. 2. n. 49.* & Henr. à Roſenth. *cap. 10. concl. 43. n. 136. cum ſeqq.* magis ad affirmantium quam negantium partes inclinant: ita tamen, ut rem cum temperamento quodam accipiant, deſtinguendo inter impenſas, quæ fiunt in reficiendo & conſervando opere jam facto, & eas, quæ fiunt pro exſtruendo novo. Priori caſu jus tacitæ hypothecæ vaſallo competere affirmant, poſteriori non item. Arg. *l. 1. ff.* [illegible]

do tueri velit Fachinæus, quod reſpondet ad dictas leges, vaſallum dici non poſſe in refectionem Domino credere, cum ipſe rem poſſideat, & ſumptus in eam faciat. Negari enim non poteſt, quod vaſallus in hanc refectionem credere videatur, cum habeat animum repetendi, ſi feudum impenſâ illa nondum detritâ Domino aperiri contingat, quemadmodum in exegeſi th. præcedentis ſatis commonſtravimus. Imò ſi tertio cuivis, qui pecuniam crediderit ad reficienda ædifica feudalia, jus tacitæ hypothecæ contrá Dominum aut Agnatum denegari non poteſt in ijs rebus, in quas credidit. *l. 25. ff. de Reb. cred. l. 24. §. 1. & l. 26. ff. de reb. auth. jud. poſſ. l. 1. ff. de Ceſſ. bonor.* quid quæſo cauſæ erit, cur vaſallus non eodem jure uti debeat, quo quilibet alius Creditorum utitur. Præſertim cum plus quam vulgatum ſit, quod jura feudalia interpretationem recipiant à jure communi. *cap. un. de feudis cognit.*

Verum nos hic ſubſiſtimus.

FINIS.

CLARISSIMO AC EXIMIO VIRO,

DN. CASPARI VVESTERMANNO,

I. V. DOCTORANDO,

Amico ſuo ſingulari amore proſequendo,

Qui ſubeunt labores
Pulvere aſperſum Stygio Merionē, aut Tydiden
Divite proſequendi
Laude, pompoſo & nimii ſemine honoris (evax!)
Protinus obruendi:
Ceu per audaces nova devolvere Dithyrambos
Verba ſtudent, ruuntq;,
Monte decurrens velut amnis vitreo colore,
Quem vomitus ſonori
Imbris effuſi vetitas ſupra aluere ripas,
Ore ſatis profundo.
Dum tuas laudes numero, maſcule Candidate,

--tatio inauguralis,
Quæ benè impenſas hominum involvere ſum-
Geſtiit, haud cothurno. *(ptuoſas*
Æchyli nitor, revoco aut Mæonium inſolentem;
Limite ſed Camœna
Ambulet molli pedibus vincta ſuis: abundant
Semine facta laudis.
Duplicem paſſus ſaturi examinis artis æſtum,
Scriptaq; docta rixis
Ore defendis. Tibi ſit lætificum brabeum,
Hoſpitium negetq;
Livida tandem Libitinæ, capiti tiarâ
Præpoſitâ atq; ſancto
Oſculo carpto, & digito Hermi opibus micante.

ita vovebat

Iohannes Henricus VVedemannus.
I. V. Doctorandus.